ANGELI DURINI

PATRITII MEDIOLANENSIS

EX COMITIBUS MODOEQTIÆ

ARCHIEPISCOPI ANCYRANI

IN REGNO POLONIÆ ET M. D. LITH.

CUM FACULTATIBUS LEGATI DE LATERE

NUNTII APOSTOLICI

SELECTORUM

EPIGRAMMATUM

LIBER

AD

DIVINUM METASTASIUM

POETAM CÆSAREUM.

VARSAVIÆ

In Typographia MITZLERIANA

1770.

CIC. PRO ARCHIA.

Quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure succenseat, si quantum cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum denique aleæ, quantum pilæ: tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero.

PLINIUS Lib. VII. EP. IX.

De Epigrammatibus.

Fas est & carmine remitti, non dico continuo & longo (id enim perfici nisi in otio non potest,) sed hoc arguto & brevi quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit. Lusus vocantur; sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quam seria consequuntur.

CASSIODORUS.

Cum nulla in Mundo possit esse fortuna quam litterarum, non augeat gloriosa notitia.

JUL. CÆSAR. SCALIGER.

In Præfatione Librorum Poetices.

Non sunt audiendi, qui hisce studiis clamant tempus absumi importunè, quod severioribus ac primariis scientiis impendendum est. His enim, si adhibeas modum, tantum abest, ut fatigent animum, ut etiam alacriorem te reddant ad exquisitiores contemplationes.

AD DIVINUM METASTASIUM.

INclyte Musarum Princeps Phœbique Sacerdos
Metastasi Jtaliæ gloria prima Lyrae,
Si quid adoratâ studiorum Pallade cessas,
Nec te in mente labor Numine dignus habet,
Adsis o Vir die, meisque allabere cœptis
Te lyra, te calami, te mea plectra canent.
Juppiter humanâ cum possit laude carere,
Humano gaudet se tamen ore coli:
Tu quoque sis quamvis Jtalis decus omne Camænis,
Non mea dedecori Musa futura Tibi est,
Adsis o, validasque in carmina suffice vires,
Jnfima sic radiis lustrat Apollo suis.
Si Tibi quid placet inde, probem quoscumque labores;
Namque orbi haud malim, quam placuisse Tibi.

AD EUMDEM.

Poeta priscæ Restitutor orchestræ,
Ornas cothurno qui pedes Sophoclæo,
Euripideum syrma qui tuo vincis,
Et quicquod usquam perditum Tragœdorum,
Desideratumque hactenus repensasti,
Hos sume versus pauculos, inæquales,
Versus in arrham quos sacræ Clientelæ
Durinus offert Principi Poetarum.

DE DIVINO METASTASIO

Ad APPOLLINEM.

Nunc nunc ocyus ocyusque Phœbe
Frigus Sarmaticum hunc mihi repelle
Et da carmine non ineleganti,
Et da carmine non inerudito,
Laudes scribere maximi Poetæ:
Aut id si videar minus mereri,
Nec quisquam videatur id mereri
Tu lyram Tibi sume, sume plectram
Et laudes cane Maximi Poetæ.

AD LECTOREM.

Hæc nos sepositis tractamus ut otia curis:
Scito quoque appositis tractare negotia curis.

EPIGRAM-

EPIGRAMMATA
AD
PETRUM METASTASIUM
POETAM CÆSAREUM
In effigiem
MARIAE THERESIAE
JMPERATRICIS.

MOrte carent Superi, Superis THERESIA par est,
Austriadas iusto quæ regit Imperio;
At morte ut careat, mortali stirpe creata
Non dare Lysippus, Praxitelesque potest.
Musa potest fati domitrix, quæ pectora Vatum
Enthea fatidico Musa furore quatit:
Te METASTASI decus hoc manet, hoc manet Illam
Ut celebris cantu fiat uterque Tuo.
Solus enim Vates es tali Heroide dignus;
Hæc sola Ingenio est area digna Tuo.

IN EAMDEM.

Cuius imago Deæ, facie cui lucet in una
Temperie mixta Juno, Minerva, Venus?
Est Dea; quid dubitem? cui sic conspirat amicè
Mascula vis, hilaris gratia, celsus honos.
Aut Dea si non est, Diva est quæ præsidet Jstro,
Jngenio, vultu, moribus æqua Deis.

IN EAMDEM.

Quæ manus Artificis tria ſic confudit, ut uno
Gratia, Maieſtas, & decor ore micet?
Non Pictoris opus fuit hoc, ſed pectoris, unde
Divinæ in tabulam mentis imago fuit.

AD EAMDEM.

Te Auſtriadum fœcunda Parens quæ marmora fingent
Æraque, quæ tanto lumine in orbe micas!
Sed lapides contemne precor, contemne metalla,
Cum non iſta valent muta referre animum:
Quin eadem cum tempus edax & ſecula vincant
Sola Tibi æternus Fama, METASTASIUS.

PETRI METASTASII,

ac Virgilii comparatio.

FAmoſa Virgilium priusquam educeret
Mantua, Poeſis tamdiu jacuit nitor
Romanæ: hiulcâque Ennii elegantiâ
Perſonuerant aures politioribus,
Cœperit ut illo à Vate laus Poetica:
Haud aliter ingens noſtro ævo METASTASIUS,
Primus adeo frontem explicuit, & ultimus,
Rugasque deterſit Theatro Jtalico
Ut quod Sophocli Græca ſcæna debuit,
METASTASIO iſtud debeat ſua Jtalia,

DE

DE EODEM.

Priſcis quod Orpheus, & Sophocles Græculis,
METASTASIUS hoc fuit Poetis Jtalis.

DE EODEM.

Non ætas huic priſca parem melioribus annis
Extulit, aut mundi effœta ſenecta ferat:
Hoc uno meruit tantum Gens Jtala Laudis;
Quantum cum Latio Græcia tota ſuo.

AD EUMDEM.

Jngenium, Muſas, Veneres, Charitesque, Lepores,
Nomine dicam uno, Muſa METASTASII.

AD EUMDEM.

Roma vetus Senecam, ſed METASTASION effert
Roma nova, & palmam prædicat eſſe ſuam.

AD PETRUM METASTASIUM *Lugentem mortem Francisci Primi.*

CONiugis excitos blandâ teſtudine manes
Orpheus in ſuperum pene reduxit iter;
Tu ſed Franciſcum crudeli funere merſum
Vocibus ad vitæ limina pene refers:

Umbra

Umbra ſuis gaudens huc laudibus advolat, & Te
 Miratur tales ore ciere ſonos;
Quod niſi fata ullâ manſueſcere voce negarent,
 Parcarum & duro lex adamante foret,
Franciſcus potuit per Te redivivus in auras
 Surgere, & aſſuetâ ſceptra tenere manu;
Cui ſi non reddis vitam, tamen Orphea vincis,
 Aure trahens cunctos Imperii Proceres.

AD DIVAM MARIAM THERESIAM
DE METASTASIO.

Jn METASTASIO quem nacta THERESIA Vatem es
 Dicat, cui Phœbus, Pieridesque favent:
Illi Tu debes; Tibi debet nec minus Jlle;
 Altera in alterius gloria maior ineſt.

IN EIUSDEM POEMA, CUI TITULUS
La Publica Felicità.

Fas METASTASI Tibi ſoli, prodere quantum
 Lætitiæ populis attulit una dies:
At mihi adhuc dubium eſt, hæc an Tibi debita laus ſit,
 An potius tantæ debita materiæ.

AD EUMDEM.

Ut Thereſiacum digno decus exeat ore,
 Exeat ore opus eſt, MAXIME PETRE, Tuo.
Unus Alexandrum ſic pingere debet Apelles,
 Sculpere Lyſippus, ſcalpere Pyrgoteles.

Quanta

Quanta Jlla eſt? tantâ modo creſcit ad æthera linguâ:
Jngenii culpâ detero tale decus.
Hanc Jovis ad Solium tua fert ſuadela quadrigis,
Quam noſtra in terris parvula Muſa tenet.

AD EUMDEM.

Tam tua Muſa meos animos demulcet, ut illos
Auferat; an Pellex eſt mihi, Virgo Tibi?

AD EUMDEM.

Cum Tibi do verſus, liquidis do flumina limphis,
Pompeio Lauros, Tela triſulca Jovi;
Si prohibet quiſquam fieri Tibi dona Poetæ,
Jlle Deo fieri dona vetare poteſt.

IN EFFIGIEM METASTASII

Cerne METASTASIUM quem ſæcula noſtra tulerunt,
Ut diſcant faſtus ponere priſca ſuos.

AD EUMDEM.

Quâ Te voce loquar, quâ VIR DIVINE Camœnâ
Te celebrem? Tibi quæ carmina digna feram?
Quidquid habet doctrinæ Helicon, Pindusque tuliſti;
Nec Te pars ſanæ Palladis ulla latet.
Tota tua eſt virtus; te noſter ſuſcipit Orbis,
Tota Minerva tua eſt, totus Apollo tuus;
O! utinam quot habes Charites expandere poſſem:
Carmen grande mihi, non Epigramma fores.

IN

IN EIUSDEM METASTASII DRAMATA.

Cedite Romanæ, Grajorum cedite Scenæ;
Quid METASTASIUS nescio majus hiat.

IN EIUS TRAGOEDIAM DIDONIS.

Vidit ut hic proprios Dido miseranda dolores,
Talia non plenâ murmura voce dedit;
I quicumque negas luctum post funera; nunquam
Sic dolui vivens, mortua plus doleo.

HONORI EIUSDEM MISCELLANEORUM.

Quæ canis annosæ donanda Poemata cedro
Victurum æterno tempore nomen habent;
Seu tenerum doctâ modularis arundine carmen,
Vel facilem tenero barbiton ungue feris;
Seu pastorali captas spectacula socco,
Turgidus aut tragico syrmate verris humum;
Euripidem, Sophoclen, Senecam, pariterque Maronem
Una tuæ suadæ viva medulla refert;
Unius ore tuo loquitur sic tota vetustas
Convictura Tibi, commoritura Tibi.

AD EUMDEM.

Ecce iterum lacrymis orchestram incendit amaris,
Et Sophoclem PETRUS reddit & Euripidem
Audiit,

Audiit, atque ederas, & longum Syrma Tragœdo
Græcia victa novo cessit, & erubuit.

DE METASTASIO, ET MARIA THERESIA.

O felix METASTASI faciente THERESA
Magnanimâ ingenii flumina tanta Tui!
O felix METASTASIO Tu Vate, THERESA!
Cuius in æterno carmine Numen eris.

DE EODEM.

Dignum, Petre, tuo quærenti carmine carmen
Aurem imam vellens Calliope admonuit;
Pone stylum; METASTASII nam carmine solus
Cæsareus Vates carmina digna facit.

AD EIUSDEM IMAGINEM.

Hæc METASTASII est facies: patet obvia virtus,
Et candor, fraudis nescius, inde micat;
Cætera scire cupis, Vatis lege Dramata; dices
Vix puto maiorem mente fuisse virum.

DE EIUS THEMISTOCLE.

Quanta Themistoclis consedit pectore virtus,
Bellum inferre suæ cum renuit Patriæ;
Tanta animo, VIR MAGNE, tuo se se intulit, ore
Altiloquo Herois dum pia facta canis;
Jlle iterum surgit per te post funera maior;
Crescit & ingenio laus rediviva tuo.

AD

AD EUMDEM.

Seu Tibi magnanimam visum est cantare THERESAM,
Virgili haud pudeat sic cecinisse lyram;
Jnclyta seu Tragicæ memoraris facta camænâ;
Usque Sophocleo Tu pede digna tonas;
Sive NICEM infidam tollis super æthera cantu,
Cantas, quo invideat LESBIA prisca NICÆ
Quis Tibi cedet honos pro tali carmine? cingat
Lauro, hederâ, myrto, terna corona caput.

AD EUMDEM.

Lenæos latices Parthus quo crebrius hausit,
Faucibus ardior dicitur esse sitis,
Qui tua tam dulci fluitantia carmina melle
Auribus intentis, MAXIME PETRE, bibunt,
Sic animi mirantur opes, pectusque disertum,
Ingenii dotes, sic tua scripta colunt:
Ut cum tam riguo mergantur fonte, bibendi
Non tamen in tanto flumine cesset amor;
Mens stupet, effugiunt tali dulcedine sensus,
Hæremus numeris, abripimurque tuis;
Seu lubet Herois modulari carmina plectris,
Aptentur tragicis seu tua plectra modis.
Castalios fontes sileat iam garrula fama
Nam tua qui sitiunt, dulcius unda rigat.

DE

DE EIUSDEM DRAMATIBUS.

Uberiora ſonas, Senecæ quam Muſa Tragœdi,
  Qui tenuit culto Romula corda pede
Multiplici Sophoclem ſuperare volumine poſſes,
  Cui debet Tragicos Græcia priſca ſonos.
Largius exundat puro tua vena lepore,
  Et curſu nunquam deficiente fluit;
Quot parit Hybla favos, quot vernat floribus æthna
  Pectore tot fœtus exeris ipſe tuo;
Prole tuâ felix, qui poſt vel fata ſuperſtes
  Jngenii vives poſteritate tui.

AD EUMDEM.

Aggredior quoties Te dicere METASTASI,
  His me Phœbe ſoleś increpuiſſe modis;
Deteris eximias tenui cur carmine laudes?
  Par METASTASIO vix lyra noſtra foret,
Jpſe ſuas tantum dotes celebrare potis ſit,
  Cui decorat doctas laurea noſtra comas.

AD EUMDEM.

Si foret in nudis virtus, aut gloria verbis,
  Jn laudes facerem carmina mille tuas;
Nobilitare poteſt noſtram tua gloria Muſam;
  At Tibi nil potis eſt noſtra Camæna dare.

IN

IN EIUSDEM EFFIGIEM.

Externam METASTASII fert iſta Tabella
Effigiem; internam ſed monumenta tenent.

IN EAMDEM.

Sic oculos, vultus, ſic METASTASIUS ora
Geſtat; ſed genium Dramata dia notant.

DE EADEM.

Ut Græcis ſuus eſt, noſter eris Sophocles.

DE EODEM ET MARIA THERESIA IMPERATRICE.

Quod Tu das Jlli, reddit Tibi: vivere per Te
Ut datur Huic, perque Hanc non potes ipſe mori.

AD METASTASIUM.

Si vellem METASTASI Te dicere verſu,
Et Te venturis tradere temporibus,
Grande conthurnati non os, neque vena Maronis
Sufficeret, magni nec tuba Mæonide;
Sed nec Apollinei ſiren dulciſſima plectri,
Nec pia Calliope, Calliopesque ſoror.
Aura Tuæ hoc, METASTASI, daret unica Muſæ;
Hic METASTASIUS quam cuperem eſſe Tibi!

AD

AD EUMDEM.

Non loqueris METASTASI, me judice, verba,
Ambrosiam loqueris, mel, mera mulsa, rosas.

DE NICE METASTASII.

NICE METASTASII teneris cantata cicutis,
Quam fama in niveis gemmea vectat equis;
NICE tuum nomen, dum current sidera, vivet
Dum Nerei ambitam tundet humum Genitrix;
Jpsa tibi famulas submisit Delia fasces,
Deque suo cedit victa Neera loco.
Victa atque Jlla suis Vatem quæ cæpit ocellis,
Jntactum nullis ante cupidinibus;
Et quas præterea sacro flammatus amore
Claravit tuscis Jpse Petrarcha modis:
Quod Venus est Charisin, faculis quod Luna minutis,
Hoc tuus est illis, NICE beata, decor.

AD EUMDEM.

Dum METASTASI, THERESAM tollis ad astra
Sidus adoratum, quantus & ipse micas!
Lumen utrumque nitet, tellus miratur utrumque,
Calliopemque tuam, Cæsaridumque iubar:
Vivite Nestoreos ambo feliciter annos,
Aurea fax populis, Numen utrumque mihi.

DE

DE EIUSDEM DRAMATIBUS.

Nocturnâ verſetque manu, verſetque diurnâ
Drama METASTASII, quisquis amat ſapere.
Heroum hic mores, genios, & corda revelat,
Hic veri, atque æqui certa medulla patet;
Laudibus eximiis virtutem extollit, & ipſum
Carpere non dubitat eſt ubicumque ſcelus;
Proh quantum eſt dignus quam fauſte vivere, quando
Res vitam emeritas non ſinit emorier?

AD EUMDEM DE SUIS DRAMATIBUS.

Sic tua Melpomenes Tragicis induta cothurnis
Allicit, ut mœſtæ corda beent lacrymæ;
Sic fata Heroum permiſces atra ſecundis,
Unde minus gratum non larymaſſe foret;
Sic fallis rerum eventis, ut amabilis error
Sit menti, & recreet qui fuit ante metus;
Tandem opus eximium ſic læto fine coronas,
Sola cadat merito ut victima perfidia:
Ergo immortalis cingat tua tempora Laurus,
Ceu per te victrix ipſa cupreſſus ovat.

AD EUMDEM.

Quod de Virgilii Vates Æneide Vatis
Papinius dixit, pronuntio METESTASI

De Te;

De Te; ne quis Te ſequier, niſi quam procul auſit;
Et Tua, quæ figis veſtigia, pronus adoret.

EIDEM.

Maxime vir centeno alius te carmine laudet,
Dimidio verſu dico, Metastasius.

EIDEM.

Carmina qui Tibi dat, non ſe, non Te capit, una
Carmen condignum ſe Tua Muſa canit.

INSCRIPTIO EIUSDEM ÆDIS.

Muſarum, Charitumque Domus, Domus hoſpita Phœbi eſt,
Quæ Metastasio dicitur eſſe Domus.

DE EIUSDEM POEMATIS.

Mœnia Dircæo Vatis creſcentia plectro,
Juſsaque ad auditam ſaxa venire chelyn;
Et placidas cantu tigres, auritaque quondam
Flumina, cumque ſuis robora culminibus
Fama tace; Orpheum jam METASTASIA vincit,
Thebaidasque ſuo pectine Muſa fides;
Credibile eſt Phœbum ſimiles impellere chordas,
Cum celebrat feſtas Cælica Turba dapes.

DE INÆSTIMABILI SUAVITATE CARMINUM EIUSDEM.

METASTASIANI blanda Siren carminis!
Jllexque Cypris, dulcis & decens charis,

Leposque vernans, fascinansque suauitas
Quo me rapis mei exsulem, quo me tui
Plenum, tuoque concitatum Numine!
Jo per altas nubium auferor plagas
Tuo entheatus sauciusque pectine!
Romane Apollo, dia Siren ætheris,
Pignus Deorum, vena fontis musici,
Puri putique proma conda nectaris,
Vatum suprema lex; age in meos quoque
Paulum penetra te modos; sed impudens
DURINE faris? improbe es nimis, tace.

DE EODEM.

Unam cum modo Pindici liquoris
Guttam multus Apollinem rogarem,
Totum retulit aruisse fontem
Siccatum nimis insolente nisu,
Atque haustu METASTASII impotente;
Ergo si latices sacros sitirem,
Divinum METASTASIUM rogarem;
Hunc & se quoties sitiret, undas
Aiebat Clarii rogare fontis.

AD EFFIGIEM EIUSDEM.

Hic METASTASIUS vultu tenus; at sata cælo
Mens animi, cæli fingier arte nequit;
Qui volet, hanc cælo librorum spectet aperto,
Non alio illa patet certior in speculo.

IN

IN EAMDEM.

Mille licet cingant victricia tempora lauri,
Et caput hoc celebret solis utrumque latus;
Hoc intelligitur non METASTASIUS ævo,
Olli digna feret præmia Posteritas.
Fallor! & Heroem nostra hæc intelligit ætas,
Jamque tulit Genio præmia digna suo;
Postquam THERESA colitur; nihil addo: quid ultra!
Postulet ad laudes Jlla, vel Jlle suas.

AD EUMDEM.

Dum divina lego Tua Dramata METASTASI,
Jpse ignoro magis mirer; an invideam.

AD EUMDEM.

Nostra Tibi placeant si carmina METASTASI,
Jllis pro fama laus tua sola satis.

DE EIUSDEM DRAMATIBUS.

Sic tua Melpomene potis est mulcere querelas,
Ut lacrymæ placeant, alliciatque dolor;
Flebilibus deducta notis operosa voluptas
Nos trahit in luctum, deliquusque beat;
Visere si liceat redivivis manibus auras,
Heroum plaudat casibus umbra suis;
At quemcumque canes, animatus Apolline vivet;
Debeat exitus, sic potuisse cani.

DE MEIS AD EUMDEM EPIGRAMMATIBUS.

Parva damus Magno, ſumas Tu parva libenti
Mente, etenim magnis parva placere ſolent;
Seu bona, ſeu mala ſunt, animum perpendito dantis;
Ex animo dantis res data pondus habet.

AD EUMDEM.

Si Vates proprium poſsunt ſibi condere Regem,
Tu Regis titulos, iuraque ſolus habe.

AD EUMDEM.

Qui ingenium DIVINE tuum & cæleſtia ſperat
Mortali demens dona referre ſtylo.
Conſcendens vetitum velut Jcarus alter olympum,
Se ſubmerſuris nomina debet aquis.

AD EUMDEM.

Beata qualem Corduba Senecam canit,
Superba talem obſtupet METASTASIUM
Vienna; Vatum mater quin ipſa, & Virûm
Invicta Roma, cuius in ſinu prius
Tam magnus Heros Lac, & aerem bibit,
Eius coronâ tecta virginum caput
Pelasga ſupra nomina attollit pedem;
Nihilque cedens Cordubæ & Græcis nihil
Æternitatem ſpondet à Nato ſibi.

EIDEM

EIDEM
THEATRI ITALICI ORACULO.

Qui tot digna cedro ſcripſiſti Dramata, Scænæ
Ecquis Te Italicæ, Te neget eſse Patrem!
Ut Te præpono cunctis, ſic comparo nullum
Vatibus ex Italis, Maxime Petre, Tibi.
Crederim Tragici luctus, legesque cothurni
Ex te poſſe ipſam diſcere Melpomenem.

DE NICE METASTASII.

NICE METASTASII carmen iuvenile, perennem
Accepit famam, nec minus ipſa dedit.

IN EFFIGIEM EIUSDEM.

Effigies hæc METASTASII eſt: pectoris artes
Dramata demonſtrant, nobile Vatis opus;
Has ſi pinxiſſes afflatus Numine Pictor,
Humanâ facie pulchrior illa foret.

AD EUMDEM.

Quod METASTASI antiſtas in carmine Muſas,
Nominis hoc ſecum fert anagramma tui;
Omen id Auguſtum, divinis verſibus imples,
Quum ſcribis calamum ponit Apollo ſuum;
Applauit ipſe quidem numeros Tibi Cynthius olim;
Nunc à te vero carmine poſcit opem.

DE EODEM.

De METASTASIO nil possum dicere dignum
Hoc nisi: sunt scriptis verba minora tuis.

DE EODEM AD LECTOREM.

Nulla alia è nostris laudas si carmina libris,
Hæc nolis, velis, est esse necesse bona,
De METASTASIO nam quæ modò carmina canto,
Jllius horum umbras irradiat Genius.

AD EUMDEM.

Omnia cum dixi, nondum Tibi debita, PETRE,
Dixi, in Te dicto dicere cuncta queo.

AD EUMDEM.

Invictus Sophocles, sed Tu vicisse Sophoclem
Diceris, hæc solo Laurea digna Deo est.

AD EUMDEM.

Ingenii Phœnix si quis Te dicere tentet,
Hoc tentet nunquam quod pote perficere est;
Credo equidem nec Te sat Te laudare valere,
Usque adeo exemplis omnibus exsuperas.

AD EUMDEM.

Melpomene ô anima, & corclum, Vir die, Sophorum.
Sit celebris, qui Te vult celebrare, decet.

DE EODEM.

Culta para METASTASIO; Ille eſt alter Apollo
Qui ſolito hunc laudat more, malignus erit.

DE EODEM.

Da Phœbe METASTASIUM,
Eſt litterarum ſatis.

DE EODEM.

Divinum ſapere & loqui Deorum eſt,
Quæ METASTASIUS ſapit canitque
Divina omnia. Non homo ergo, non eſt
Mi METASTASIUS; genus Deorum eſt.

IN EIUSDEM EFFIGIEM.

Hæc METASTASII Effigies eſt, cætera norunt
Et Tagus & Ganges; forſitan Antipodes.

DE EODEM.

Pannoſos Princeps & olentes rura cothurnos
Juſſit hic antiquâ pergere munditiâ.
Euripides, Sophocles debent Muſis, & Achaiæ;
Muſa METASTASIO debet & Jtalia.

DE TITULO DIVINI

METASTASIO à me tributo.

Qui METASTASIUM titulo fortaſſe negabit
Olli quem tribuit pagina noſtra parem;
Vel METASTASII divina haud Dramata legit
Quæque Idem cecinit multa alia atque alia
Aut is ſi legit, nec mecum ſentiat, ille
Jam penitus guſtu, judicioque caret.

AD EUMDEM.

Funereas ſi hæc noſtra queant perrumpere leges
Carmina, & a longa poſteritate legi;
Non certe ingenio vivent tua nomina noſtro,
Sed genio vivent carmina noſtra tuo.

DE EODEM.

Viennæ scribebam.

Felices hodie meos ocellos!
Queis demum licuit videre diam
Jllam illam faciem Jtali Sophoclis
Qui Scenam Jtalicam prior polivit,
Qui ſummum decus Jtali eſt Leporis
Et qui Thereſiamque, Ceſaremque
Suis carminibus ad aſtra tollit:
Felices hodie meos ocellos!

SUB

SUB EIUSDEM EFFIGIE

Artis Dramaticæ vides Magiſtrum,
Omnem qui rapuit Poetices vim;
Nam dum Dramata ſcribit, adque amuſſim
Æquat omnia, perpolitque ad unguem
Quavis arte decoreque expolitus,
Sæcli terriculum eſt ſui, & ſequentis,
Nemo ſcribere ut audeat Nepotum.

DE EODEM.

Priſcûm ſepultis inclytis laboribus
METASTASIO uno quem legit, colit, ſtupet,
Gens Jtalorum fido & acri examine
Vetuſtiorum damna abunde penſitat

AD EUMDEM.

Te, METASTASI, docuit GRAVINA, Magiſtri
Gloria diſcipulum iure ſecuta viget.
Tu felix illo; ſed Te felicior ille,
Quin te uno illius fama per ora volat
Sors tua quam illius melior! cui contigit ante
Fata, quod a tumulo non habet Ille decus.

DE EODEM.

Mores, Ingenium, Muſas, Sophiamque ſupremam
Vis unâ dicam voce? METASTASIUS.

DE

DE EODEM.

Si fas cuique sui sensum depromere cordis,
Hoc equidem dicam pace, RACINE, tuâ
Est tua Musa quidem dulcissima; Musa videtur
Sed METASTASII dulcior esse mihi.

AD EUMDEM.

Postera dum tragicos iactabit scena cothurnos,
CORNELI, sive tuos, sive, RACINE, tuos
Tu simili, METASTASI, celebrabere famâ,
Vel potius titulo duplice maior eris;
Quidquid enim laudis dedit inclyta Musa duobus
Vatibus; hoc uni donat habere Tibi.

AD EUMDEM.

Quâ ratione homines rerum caperentur amore
Pulchrarum, quondam magnus Aristoteles
Forte rogatus; ea est cæcorum quæstio, dixit;
Et bene; namque duces sunt in amore oculi;
Ergo tuæ cur tam capiar virtutis amore
Si mihi quis quærat, is mihi cæcus erit.

IN EIUSDEM EFFIGIEM.

Laudatum cunctis, laudandum nec satis unquàm
Maiorem invidiâ cerne METASTASIUM.

AD EUMDEM.

Æmula Divino contendens Gallia Vati *
Liquerat incertis nutantia prœmia Musis:
At nunc divino ne pugnet Gallia Vati
Sustulit ambiguæ tandem certamina causæ
Jtalia, & veterem litem interiecta diremit.
Sic medius, DIVINE sedes, Gallo atque Pelasgo
METASTASI, Jtali lux prima & fama cothurni
Ut neuter primus, sed sit Tibi uterque secundus.

DE EIUSDEM EFFIGIE.

Hæc METASTASII est facies; si cætera nescis,
Nescis quid Phœbus, Musa, Sophia, Charis.

DE EADEM.

Hæc METASTASII effigies; quæres nihil ultra,
Nil maius dici, nil potuit brevius.

IN EIUSDEM DRAMATA.

Magnanimos cecinisse Duces, Heroicaque arma
Jngentis labor est atque opus ingenii:
At qui grandiloquus complet populosa Theatra
Casibus ambiguis anxia corda gravans,
Qui spectatorem retinetque, movetque vicissim,
Hic nostro punctum iudicio omne tulit.
Efficis hoc Jtalo VATES DIVINE cothurno
Ausus inaccessam primus inire viam.

DE

* *Sophocles divinus.* Cic.

DE EODEM.

Ne ſis in ſuperos ingrata o Jtala, Tellus
Felix divino facta METASTASIO,
Jam nihil eſt Jtalum quod Gallus ſpernat: habemus
In METASTASII Dramate CORNELIOS.

AD EUMDEM.

Scilicet unus eras per quem haud Gens Jtala Achivos
Nec gemeret caſſos lumine Tibris avos
Jam non Euripiden Jtali S phoclenque requirunt;
In te ſuſpiciunt Græcia quidquid habet.
Quod plus ſi Jtaliâ placeat tibi Cæſaris aula.
Et præ Vindobonâ Romula ſordet humus
Saltem erit hoc laudi Jtaliæ genuiſſe cometem
Qui velit Auſtriacis fulgere non Jtalis.

AD EUMDEM.

Divine vates, qui Sophoclen præteris
Euripidemque fultus alâ remige
Priſcum & Latinæ deſpicis ſcenæ decus,
Choragiumque præter Annæi volas:
Divine Vates me ſimul tecum rape
Per candicantis cœrulas æthræ vias;
Ignava quamquam torpidum moles premit
Tuâ levatus quolibet dextrâ ſequar,
Supraque nubes ibo, quas craſſus vapor
In nos adurget; deligam ſpectaculo

Propin-

Propinquiores ſiderum metæ foros,
Ubi ſerena ſemper, & purus dies:
Hic priſca cernam provocantem ſæcula
Prodire noſtri temporis Tragœdiam
METASTASIANAM, nata quæ ſerò licet
Retro tot annos laude prævertit novâ.
Vox una Muſis victa METASTASIO
Theatra Graiûm, ſcenaque urbis Romulæ
Applaudit omnis maximi circi chorus.

AD EUMDEM.

Vovi olim METASTASI, me carmine laudes
Velle tuas meritis æquiparare tuis
Primo aciem Phœbi contra ſuſtollere currum
Auſus, an ex voto debeo tanta Tibi?
Hæc Tibi ſi voveat, quanta eſt quam longa futura
Tota tamen nequeat ſolvere Poſteritas.

AD EUMDEM.

Ah quoties, METASTASI, ad Te hæc carmina ſcribens
Mente volavi animi, corpore dum nequeo!
Fors tecum ingenio Vatum certare valebunt
Pauci, iudicio nemo Poeta poteſt.

AD EUMDEM.

Quo legiſſe mihi Euripidem, legiſſe Sophoclem?
Tu Euripides nobis, Tu alter eris Sophocles.

DE

DE EODEM.

Priſca tuos ætas ceſſa iactare Poetas;
Ponimus hoc contra tot tua ſæcla caput.

AD EUMDEM.

Ut cum ſol toto radios præpandit Olympo.
Sidera fulgenti cuncta fugat radio;
Sic ſe ſe promit cum METASTASIA Muſa
Carminibusque novum ſpargit in orbe iubar;
Sola micat cunctosque premit, qui luce coruscâ
Flagrabant Vates, Lampadis igne ſuæ.

DE EIUSDEM SACRIS DRAMATIBUS.

Qui METASTASII volvis ſacra Dramata Vatis
Dramata ſacratis ducta voluminibus,
Non hæc humano credas procedere ſenſu
Auctori mentem movit & ora Deus.
Hunc ſibi delegit, quo non cœleſtia quisquam
Grandius, aut pleno cultius ore ſonet.

DE IISDEM.

Non hæc Aonides dictarunt Dramata Muſæ,
Dramata ſed cœli ſacra dedere chori.
Quid mirum, rapidi vincunt ſi temporis iram!
Non ius in cœlum temporis ira tenet.

AD PHOEBUM DE METASTASIO.

Phœbe fove METASTASIUM fovearis ut ipſe,
In METASTASIO aut occidis, aut oreris.

AD EUMDEM.

METASTASI ingens cœli admirabile donum,
Quo natura ſuo victa opere ipſa ſtupet;
Ecquid ego noſtro Te carmine dicere tento?
Carmine quem digne dicere nemo poteſt:
Jam taceo; Tibi ſit ſatis hoc, *Vir maxime*, laudis,
Laudari nullo carmine poſſe ſatis.

AD EUMDEM.

Divine Vates inſolens Caballini
Potor fluenti, Muſicique conſeſſus
Dictator ingens; quo rapis tui plenos
Lepore; quo nos ducis in ſpecus celſas!
Quam blenni, inepti cæteri Poetarum
Si conferantur, comparentur & Tecum.
Patienter o feratis; osque divinum
Sermonis illud Jtali ſciatis vos
Optare cunctos, impetrare sed nullos.

IN EFFIGIEM DIVÆ THERESIÆ IMPERATRICIS.

Quænam Illa? AUGUSTA Auſtriadum THERESIA Mater,
A rerum illuſtri cognitione Dea.

Omnium in Illa habitat pulchræ sapientia Regum,
Justitia hoc speculo conspicienda placet.

AD IOSEPHUM ROMANORUM IMPERATOREM

Cum Romæ esset.

Crediderat famæ de Te præclara loquenti
Jndolis & generis conscia Roma Tui;
Sed postquam ingentes in Te *vidit Leopoldos*
THERESIÆque oculos, THERESIÆque animum
Notus eras Medis, notus JOSEPHE Britannis,
Sed mihi adhuc, inquit, non bene notus eras.

DE EODEM.

Prima urbes inter JOSEPHUM urbs Romula adorat
Cæsaribus quondam par fuit obsequium,
Roma Triumphatrix tamen hoc fateare, coactus
Quod metus est olim, nunc dare gestit amor.

DE EODEM AD PICTORES.

Pingere THERESIÆ, Pictores, parcite vultus,
Pingere adhuc potuit quos bene nulla manus:
Nam decor egregius nullâ est imitabilis arte,
Nec tantum lumen parva Tabella capit:
Quin METESTASII calamo hunc concedite honorem
Qui mentem excelsam pingere, & ora valet;
Jlle

Jlle avidos ævi vincit revolubilis annos,
Longa nec amiſſo ſæcla colore timet.

AD EUMDEM

De divino Poemate ab Ipso

AD DIVAM MARIAM THERESIAM

Convalescentem perscripto.

THERESIAM Auſtriacis Clotho ut ſervaret, Apollo
Sat, METASTASI, ſat Tuus unus erat.
Vitales Erebus cantus præſenſit ab umbris,
Et timuit quæſtus Orphea Teque novum,
Deſiit eripere *Hanc*, quam vel Tibi funere raptam
Reddidit, auguſtas tam pavet ille fides.
Pollice ſic niveo ducant Tibi ſtamina Parcæ,
Eximis ut fato carmine quos celebras.

AD EUMDEM
EAMDEM CELEBRANTEM.

Dum AUGUSTAM celebras Tu conſulis ipſe futuris
Temporibus, DOMINÆ conſulis ipſe Tuæ.
Ceu AUGUSTA Tuo immortalis Apolline vivet,
Cum AUGUSTA æternum Tu quoque nomen eris.

INSCRIBENDUM
OPERIBUS DIVINI METASTASII.

Brittones heic, & Germani, Gallique & Jberi
Quodque admirentur, quodque imitentur habent.

DE EODEM
ad Musas.

Mnemoſides Divæ noſtros queis detuli amores
  A puero veſtris deditus in ſtudiis;
Una hæc ſervitii, ſi fas eſt præmia poſco:
  Vos ego ſi ſemper lacte, mero colui.
Magnum animum METASTASII mihi conciliate,
  Et date victuris tollere carminibus

AD EUMDEM.

Sic Te miror, amo, divinumque ingenium in Te,
  Nec, *Vir Magne*, ſcio mirer, amemne magis.
Hoc ſcio utrumque licet faciam pro viribus, in Te
  Mirari ingenium me, nec amare ſatis.

DE EODEM

Si METASTASIUS potandum det mihi nectar
  Hic pleno ore ſuum, mox & *Apollo* ſuum.
Eligerem METASTASIUM, ſed *Apollo*, valeres
  Nomen inane mihi, Numen at Jlle foret:
Nam ſim ut *Apollo*, queam non METASTASIUS eſſe
  Sim ut METASTASIUS, non ego *Apollo* velim.

ELEGIDION

AD PHOEBUM
DE DIVINO METASTASIO.

Sic Rosa ab igne micans crines succendat, & ardeant
Tempora per nitidi per iuga Chrysoliti,
Mane novo Oceani linquis dum Phœbe cubile,
Scandis & auratis ætheris alta rotis:
Sic declivis aquas cum pergis vespere notas,
Obviam eant Horæ, Nereidesque simul,
Exceptum & ducant in sueta cubilia Patris,
Melleo ubi arcanus nectare fons scaturit:
Sic seu voce melos, melius seu pectine mavis
Dividere, atque Deûm concelebrare epulas,
Attentâ aure bibant Tua carmina Diique, Deæque,
Præque illis spernant nectar & ambrosiam.
O mundi Decus! o vatum Pater! Huc ades, & mî
Exige nubem animi, & lumine candidulo
Jngenium lustra; da rimari orgia, sancte,
Mystica, Lyncæis prendere da mi oculis;
Divini METASTASII da carmine laudes
Scribere perlepido, aut si minus id mereor,
Tantum onus estque nefas homini perferre, Tibi istud
Plectrum sume Deus, sume Deus cytharam hanc,
Et METASTASIO cane pro me carmina, namque
Hic est divinis ille potens animi
Divitiis, hic est, quem magni Cæsaris aula
Suspicit & MATER diligit AUSTRIADUM:

 Hic

Hic est quem ingeminant cytharæ tentamine dio,
Musæ, Mercurius, Gratia, Cypris, Amor.
Quem Suadela aliis vetito Diva Innuba calle
Supra urbes, populosque, & mare navifragum
Curribus evexit Famæ, Pindoque locavit,
Ætheris & tecum currere dat spatia,
Cœlestesque domos; cui si similem arguis esse
Doctrina eloquio, moribus, atque fide,
Esse tibi & similes faculas fateare necesse est
Astrorum cœli cardine in horridulo
Semiferi senis ut transis per tristia signa
Ora ab hyperborea pallidulus glacie;
Sed cum veris obis callem, admissoque iugali
Exultas mediis flammeus æquoribus;
Vel cum frugiferæ Erigones premis acer aristas,
Autumnum radioque ignimicante coquis,
In partemque iuvas hominumque boumque labores.
Hoc plectrum ergo tibi, sume tibi cytharam hanc
Et METASTASIO pro me sacra carmina pangens
Jpsum crede tuum dicere, Phœbe, Linum.

DIVÆ
DE ICONE MARIÆ THERESIÆ
JMPERATRICIS.
à Pompeo Battoni depicta.

Cur pingis magnam Battoni vane THERESAM?
Frustra es; vulgares, i bone, pinge genas.
Ut magnæ Austriadum Pictura sit æmula Matri,
Hanc METASTASII pingier arte decet.

AD

AD EAMDEM.

de ejus eximia pietate.

Æternum decus Jmperii, Lux aurea Gentis
Austriadum, excelsi sacra propago Poli,
Te Duce Relligio ingenti studio atque labore
Provehitur Duce Te jura fidesque vigent.
Unica Lux Regnis Pietas pulcherrima rerum,
Regnantum & virtus maxima nosse Deum.

De Augustis Eiusdem Filiis & Filiabus.

Non opus est speculo: ut spectat THERESIA Natos
Austriadas, vivo se videt in speculo.

AD DIVINUM METASTASIUM

Eandem celebrantem

Dum magnæ METASTASI magna acta THERESÆ
Non imitabilibus tollis ad astra modis,
Magna tui versus exornant Illius acta,
Non secus ac versus Jllius acta tuos.
Amborum virtus duplici cumulata decore est,
Alter ab alterius lumine lumen habet.
Sic gemmis ornata nitet magis Indica Concha
Sic magis in Conchâ gemma reposta nitet.

In effigiem Divæ

MARIAE THERESIAE

Jnvisa est virtus aut hæc virtutis imago est;
THERESA est etenim virtus aut pulchrior illa.

AD EANDEM.

Schumbruni hoſpitium ſplendore quid inſtruis? Ingens
Sit licet, inferius Te tamen illud erit.

DE DIVINO METASTASIO.

Vivus hic Auſoniæ antiquos inſtaurat honores,
Mortuus antiquos auferet atque novos.

DE EODEM.

Multum equidem debes Divino Drama Sophocli
Tu METASTASIÆ ſed mage Drama Liræ.
Namque is Te genuit, verum hic revocavit ab orco.
Jllud mortale eſt, hoc reor eſſe Dei.

AD EUNDEM.

Naturæ fuit ægregium certamen & artis
Ut METASTASI magne, Poeta fores,
Utraque multa Tibi, ſed plus natura decoris
Contulit, unde novo verba decore moves.
Verba fluunt inſtar Fluvii exundantis ab ore;
Surripis inde animos, ſurripis inde animas.
Quis neget & ſylvas, & ſaxa ſequura moventem
Orphea Trhoiciæ plectra canora Liræ?
Creditur Amphion Thebas fide clarus, Apollo
Pergama vocali conſtituiſſe Chely.
Quid mirum? cum Tu Divino Dramate volvas
Vulgus, & ad ſuperos ſaxea corda trahas.

Quæ

Quæ multis partita fuit, Tibi contulit uni
Natura: ars omni, qua potis, ornat ope.

De Natali Divini
METASTASI.

Lux alma Aonidum dius cui thura quotannis,
Cui METASTASIUS fundit in igne merum.
Accipe Pierios, Parnaſſi gaudia, flores,
Quæque fluunt biſidis annua liba Jugis.
Quandoquidem magnum Jtaliæ rarumque dediſti
Pignus, & Auſoniis nobile nomen aquis.
At Tu ſic furvas numquam experiare tenebras
Sic Phœbi nitidis usque mices radiis:
Fauſta precor longos tamen expectata per annos
Atque tuo Vati concolor uſque redi.

AD EUNDEM.

Te METASTASI celebrari carmine tantum
Non decet, at decet & ponere Pyramidem.
Antiquosque Sophos inter ſanctosque Poetas
Ex auro ſolidam ſtare Tibi ſtatuam.
Cernimus in Te uno Divinæ inſignia mentis,
Et plus quam humani par decus ingenii.
Nam viget in Te uno quantum vix ſæcula mille,
Quantum vix præſtant millia mille hominum.

AD EUMDEM.

Dii bene THERESIÆ Te dant, *Vir Maxime*, ſæclo,
Eximiæ Vatem THERESIÆ eximium.

Tantam

Tantam unus potis es *Reginam* dicere; & una
Materies numeris par fuit Jlla Tuis
THERESIÆ ut cedunt Reges prisci, atque recentes
Sic Tibi sic Vatum prisca recensque cohors.

AD EUMDEM.

Tu Jtaliæ es Siren, ita cantu interficis omnes;
Nam Tua qui legit scribere nemo potest.

DE EODEM.

Dic Dea, quod possum scripturus fingere carmen,
Quod METASTASIO par queat esse meo?
Cur poscis quod habes? dic METASTASIUS; illud
Omnia virtutum nomina nomen habet.

DE EODEM.

Dicite mi Aonides cultissima Numina Musæ
Quo METASTASII pascitis ora cibo?
Sic ego, sic Musæ; quis te tenet avius error;
Nectare quo potius nos aiat ipse roga.

AD EUMDEM.

Quidquid ab ore Tuo prodit, *divine Poeta*,
Excipit, & tabulis mandat Apollo suis.

AD EUMDEM.

Ne METASTASI quis certet neve laboret
Jn cassum Laudes æquiparare Tuas.

Sive

Sive Tibi Heroo placeat consurgere cantu,
Sive cothurnatus nobile Drama facis.

AD EUMDEM.

Facundissime Romuli Nepotum,
Nil prorsus Tibi Phœbus abnegavit,
Et feliciter omnia experiris;
Tu nihil nisi dulce, gratum, amœnum,
Et doctum, & teres exprimis canendo;
Hinc & mirificos cies amores,
Et flammas animis meras inuris.
Facundissime Romuli Nepotum.

AD EUMDEM.

Dum Tua miratur mundus quæ Dramata condis,
Dramata Cæsareæ digna placere Deæ,
Melpomene has visa est cœlo depromere voces;
Ut mea ditescant lumina, scribe diu.

DE EODEM.

Vindobonæ dum Tecta subit Cyllenia proles
Obstupuit visâ fronte METASTASII,
Obstupuit, secum tacitus, virgamque remittens
Paciferam, stupidâ pertulit ire manu.
Elapsam METASTASIUS virgam illico dextrâ
Corripit, & tacito porrigit inde Deo,
Atque ait; I mutos animes hoc vimine manes,
Non tua virga mihi, sed mea plectra satis.

AD

AD EUMDEM.

Romani Vatis vera hæc ſententia; *non eſt*
Ultima Principibus laus placuiſſe viris.
THERESIÆ placuiſſe, parem cui nulla tulerunt
Sæcla, METASTASI, laus ea prima Tibi.

AD EUMDEM.

Accumulent alii planis Tibi carmina plauſtris
Et ſua diffuſâ munera mole probent;
Nos brevia hæc, *Divine*, Tibi, quia publica lædat
Qui Tibi ſit longa garrulitate gravis.

DE EODEM.

Pauca alii multis, ſed paucis dicere multa
Tento ego; vin paucis multa? METASTASIUS.

DE EODEM.

O quæ me celeri raptum per inane volatu
Aura ſolo ſiſtat Cæſaris aula tuo?
Non ut ibi dites pictaj veſtis & auro
Aſpiciam tumidos quos habet aula Deos.
Aut quidquid ſimile his tantum vagus obſtupet hoſpes,
Auſtrius aut multo turgidus ore crepat.
Sed mage ut intuear Phœnicem cominus illum,
Quo nihil in toto clarius orbe viget.
Jllum inquam ut propius ſitienti lumine, & ore
Uſurpem, & penitum mente animoque vorem.

Vindo-

Vindobonam Roma Charites qui transtulit omnes,
O tanto felix *hospite Vindobona!*

DE EODEM.

Quærebam Phœbum Phœnix vere an foret ullus,
Cum Metastasium ille innuit & siluit.

AD EUMDEM.

Exigua hæc fateor; sed per maris Ostia magni
Quis vetet exiguam serpere fontis aquam?

IN POEMA

Mihi ab Eodem Authore dono missum

VARSAVIAM.

Quis Te Cæsarei Poema Vatis
Jussit Varsaviæ venire ad Urbem?
Unde unde huc lepidum pedem tulisti;
Fallor an mihi te recens Sophocles,
METASTASIUS ille, Tusca Siren
Misit Mnemosynum sui favoris?
Salve o Cæsarei Poema Vatis,
Fœtus Cæsarei tenelle Vatis;
Ut te conspicio lubens! ut illis
Tuis deliciisque gratiisque
Frui gestio! quam iuvabit illas

Basiare

Baſiare micantibus labellis!
At Tibi bene ſit, recens Sophocles.
Per quem mî licet eſſe tam beato.

AD EUMDEM.

Thebanus quondam Amphion, & Thracius Orpheus
Traxerunt fidibus ſaxa nemusque ſuis;
Sed *Theresiacas* toties qui mulſeris aures,
Plus illis conſtat te potuiſſe viris.

DE EODEM.

Quando METASTASIO laudes conarer, Apollo
Mi Ridens ambas vellicat auriculas;
Et quid ait tentas? tua plectra DURINE reconde,
Aoniam ſupra vir volat Jlle Lyram;
Nulla favilla poteſt iſti dare lumina Soli,
Omnia qui radiis luſtrat opaca ſuis,
Arduus adiectâ micâ non ſurgit olympus,
Parvula tam vaſtum nec mare gutta iuvat.
Hunc ſua iam dudum vexit ſuper æthera virtus
Livida ſeu nolit, ſeu velit invidia.

DE EODEM

AD POETARUM OSORES.

Vos o perpetui Muſarum nominis hoſtes
Ad METASTASII carmina dia voco.

Diſpe-

Dispeream, si non mentem eiurabitis aspram,
Ni rerum & vobis prima Poesis erit.

AD EUMDEM.

Septem Mæonides certantes reddidit Urbes,
Jllum dum jactat quælibet esse suum.
Tu facis Aonias studiis contendere Musas,
Dum carus cunctis, *Maxime Petre*, canis:
Te vult Melpomene, tragico si digna cothurno
Verba Sophoclæo grandia ab ore tonas;
Montibus & sylvis Nymphas deducis agrestes,
Si memoret flammas Nicia amata suas.
Jnter Pierides alter tu Cynthius, ille
Divisum tecum detinet Jmperium,
Jn Grajos Latiosque sonos sibi iura reservat;
At tibi in Jtalicos sceptra gerenda dedit.

DE EODEM.

Etrusci micat Arbiter Theatri
METASTASIUS, Jtalæ Camenæ
Gloria, Urbis Apollo, qui Poetas
Et Græcos simul & simul Latinos
Vincit ingenio, peritiâque.

AD EUMDEM

Salve o Drammaticæ Magister artis,
O nostri Euripides, decusque sæcli,

Præstans

Præſtans eloquii nitore Tuſci,
Phœbo ac Mercurio caput ſacratum;
Qua Te laude feram, haud ſcio, quid ergo!
Cum neſcire reor, probe ſcio tunc.

DE EODEM.

Dum METASTASIUS divino carmine nuper
Saxa, feras, volucres attrahit, & nemora
Miratus Titan, ait, aut non occidit unquam
Orpheus, aut alium Calliope genuit.

De eodem celebrante
M. THERESIAM IMPERATRICEM

AUGUSTAM toto venerari pectore noſtri
Muneris eſt, digne ſed celebrare Tui.

De morbo Divæ
MARIÆ THERESIÆ.

Tentavit MARIAM Morbus, nec ſuſtulit; unde?
Tam Sanctam vidit; credidit eſſe Deam.

AD EAMDEM, ET AUSTRIAM
In Eiusdem Morbo.

Ægrotas, moritur, revales THERESIA? vivit
Auſtria, ſic fato ſtatque, caditque Tuo.

DE

DE EADEM.

Roma ſuos Patriæ Patres Mavortia iactet
Quam Patriæ Matrem en Auſtria iactet, habet.

VISA MARIA THERESIA

Hæc cecini.

Quod dudum in votis fuerat divina tueri
Sors dedit AUSTRIACÆ Lumina THERESIÆ;
Eloquar? an mage ſunt facunda ſilentia? Muſæ
Quam tenues cantus? ſtridula canna tace;
Vel ſi tantus Amor magnam dixiſſe THERESAM
Alta tibi ſociam ſic tuba præſtet opem.

Quam ſeſe ferens! quam forti pectore, & armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum;
Arguit ingentes animos Auguſta verendi
Maieſtas vultus; mediis Tritonia bellis,
Aut canibus nemora, & montes Diana fatigans,
Sic oculos, ſic ora ferunt, hic ſpiritus illis.

AD EAMDEM.

Reginas ſuperare tuis virtutibus, haud eſt
Mirum; Te Reges vincere poſſe novum eſt.

DE EADEM.

In Comitiis Ungaricis.

Auſibus Hærois quid quæris Amazona? Cerne
THERESAM; haud maior Pentheſilea fuit.

DE

DE EADEM.

Vis decus & cunctam virtutem dicere? Dictum
Hanc si THERESAM dixeris, omne putes.

De Eiusdem insigni Pietate.

Orbis si pietas anima est, AUGUSTA, fidesque
Totum, qui colit hanc, orbem animare, valet,
Sic Tu nos animas pietate piissima Princeps,
Exemploque pios nos facis esse tuo.
O Decus eximium! nimirum maxima laus est,
Cum Princeps alios quod iubet, ipse facit.

AD EAMDEM.
De die Eius Natali.

Cum redit illa dies, magni quæ conscia partus
Austriadam sacro Te dedit Imperio;
Hic Tibi longævos deposcit Nestoris annos,
Jlle Sybillinas optat Olympiadas.
Errat uterque tamen; nec scit quid postulat; annos
Addidit æternos iam tua Fama, Tibi.

De Eiusdem Morbo Variolarum.

Miraris tantus cur cœlo defluat imber,
Juppiter & celsâ desuper arce tonet;
Theresæ morbum dum non sat Cæsaris aula
Materie lacrymas exsuperante, dolet,
Ipse suo tonitru & pluviis succurrit Olympus,
Unaque causa homines tangit, & una Deos.

AD

AD DIVAM

MARIAM THERESIAM

ROMANORUM IMPERATRICEM

SCRIPSI VIENNAE.

EXperior maiora fide, divina THERESÆ
 Maiestas coram dum mihi fulget Heræ.
Excutias mundi historiam; virtutibus æquas
 Jnvenies nullas, consimilesque Tibi;
Nec se contulerit Tibi quæ Salamonida quondam
 Devenit sapiens Virgo SABÆA domum.
Jntuitu obmutesco Tui: stupet ad Tua, Diva
 Lumina mens, scribit vix manus hocce tremens.
Quæ qualis quanta est, regio cui nulla sub orbe
 Non habuit, nec habet, non habitura parem est!

AD EAMDEM.

Nil præter Phœbum & Musas cantare Poetæ
 Norunt, nil præter Pallada commemorant;
Numina nescio quæ fabricant sibi falsa, Deosque
 Mendaces vanâ fingere mente solent.
Verius en vero Tibi Diva THERESA profabor,
 Quod poterit tuto credere posteritas.
Numen es Ipsa mihi, & quid Numine maius! utrumvis
 Ut negites, numen Te tamen esse loquar.

AD EAMDEM.

Hactenus Aonias inter, REGINA, Puellas
Laus tua, quo potui nomine, dicta mihi est.
Carmine descripsi Te Vates; nunc ego Pictor
Nunc fieri sculptor pro ratione velim,
Pingere pro meritis hinc & Te sculpere tentem,
Attentem, sibi quod sumere nemo potest,
Nam qui te pingat, sculpat, canat, haud sat Apelles,
Haud sat Praxiteles, haud satis ipse Maro est.
Te REGINA tamen iuvet officiosa voluntas;
Quisnam ultra vires obligat ingenium?

AUGUSTÆ IMPERATRICI
MARIÆ THERESIÆ

Cum ex gravissimo variolarum discrimine salva evasisset Anno 176.

HEroum Sobolem, totus quam suscipit orbis
Delicias hominum, deliciasque Deûm,
Virtutum columen, Templum Probitatis & Æqui,
Præcipuam sæcli, spemque decusque sui
Jgne venenato febris deterrima cœpit
Urere, Lætheas ausa vibrare faces.
Stamine iam tenui THERESÆ vita pependit,
Jamque tremebundum exhorruit Jmperium.
Jpsa sed accurrit Pietas, flammamque latentem
Extinxit lacrymis proflua tota suis:

Omnis

Omnis in auxilium festinans proruit Æther,
Ipsaque summa Salus acceleravit opem.
Macte Dei tantâ Tibi curâ reddita! macte
Macte hominum, cœli macte faventis amor!
Ne pigeat diri subiisse pericula morbi,
Cum Cœlum & Terram condoluisse vides.
Est tanti rapidum morbi sensisse furorem
Ut tam sollicitos experiare Deos.

AD DIVINUM METASTASIUM

Divine Vates, Italæ Orchestræ Parens,
Tragicique vindex Syrmatis, Phœbi genus,
Stupet labores Vienna Austriadum tuos
Et aure Drama nobile attonitâ bibit;
Etiam quid ultra est? totus in laudes tuas
Conspirat Orbis; dulce Musarum decus,
Tuos cothurnos nulla proscribet dies.

DE EODEM.

Quid dubito nostræ de posteritate Camœnæ
Vivet, Nasonis carmina donec erunt.
Quæ METASTASII præscripsit pagina nomen
Omnia si pereant, nesciet illa mori.

DE EIUSDEM EFFIGIE.

Operibus eius præfixâ.

Intro extraque pates, DIVINE: tuaque subinde
Cum video, facie, cum lego, mente fruor.

DE DIVINIS EIUSDEM PASTORALIBUS DRAMATIBUS.

Dia o Dramata, quæ ſuo lepore
Sic ſenſum afficiunt meum, meumque
Sic cor exhilarant, ut iis legendis
Mox curæ fugiant, velut ſuaves
Cum ſpirant Zephiri tepente vere
Cœlo nubila, frigidæ pruinæ
Terris diffugiunt, novique flores
Pingunt gramina gemmeo colore,
Dia o Dramata ſemper irrigate
Meos nectareo liquore ſenſus
Et mentes hominum venuſtiorum!

De Laudibus Viennæ.

Felix o nimium Vienna felix!
Quam Mars Palladi certat uſque & uſque
Claram reddere gentibus probisque
Ornare ingeniis Virorum & armis:
Te frugum facilis, potensque rerum
Tellus, te celebrem facit virente
Qui ripâ, calamisque flexuoſus
Jſter flumine proximo ſuſurrans
Dites mercibus invehit carinas.
Quid Palatia Cœſarum, Deorum &
Templa? quid memorem vias, & urbis

Moles

Moles nubibus arduis propinquas?
Arcem quid gravidam ensibus, machæris
Ferro missili, ahæneâque glande &
Tormentis imitantibus Tonantis
Fulmen terrificum trucesque bombos?
Quid Collegia docta, ubi Juventus
Dat totos studiis dies honestis,
Jnter quæ rutilat THERESIANUM
Sol inter faculas velut minores.
Felix o nimium Vienna felix!
Felix dotibus o Vienna tantis?
Sed felix magis & magis beata,
Istis temporibus, rudique sæclo
Quod METASTASIUM omnium leporum
Patrem, atque Jtalici arbitrum Theatri
Heu! Romæ invidiosa surpuisti?

DE EODEM.

CORNELII scenam vincit scenamque RACINI
Jnclyta DIVINI scena METASTASII.
At magis Hunc Jllis quia dignum laudo duobus
Cur? petis: hic solus, quidquid uterque, potest.

AD EUMDEM.

Si quid dulce meis inest Camœnis
Si quid suave latet sub hisce chartis,
Vir divine, tuum est, tuumque donum

Eſt, quodcumque Erato mihi propinat.
Tu das ingenium, facis Minervam;
Verum Te ſine iam Tuo DURINO
Nullum eſt ingenium, Minerva nulla eſt.

DE EODEM.

Jllic imperium fore iactavere Quirites
Eſſet ubi ſedes SCIPIO Magne tua.
Jllic Pierides, illic erit alma Poeſis
Nobile ubi pangit Drama METASTASIUS.

AD EUMDEM.

Debemus multum Tibi nos *Divine Poeta*,
Jtaliæ per quem nomen honosque manet.
Exterus effreni ſcriptor non optimus ore
Quondam hæc non veritus dicere verba fuit:
Producit Tragicum nullum Jtalis ora Poetam,
Nullum habet hæc Sophoclem, nullum habet Euripidem,
Gallo, Anglo, Hiſpano teſte hæc vox futilis, atque
Concentu cytharæ falſa probata tuæ eſt.
Salveto o dignus cui CÆSARIS AULA coronam
Dedicet, AUSTRIACÆ dignus amore DEÆ.

AD EIUSDEM EFFIGIEM.

Antequam Eum vidiſſem.

Salve cara mihi DIVINI VATIS imago
Ut ſæpe expoſitam luminibus cupidis

Aſpicio,

Aſpicio, veneror que! Viri præſentia quando
  Hactenus ora mihi cernere non licuit.
At mens, ingeniumque ſagax, & plurima virtus
  Divini rarum Vatis & eloquium,
Jam diu divinis mihi ſunt perſpecta libellis
  Dignis AUGUSTO THERESIÆ ore legi.

AD EUMDEM.

Tum nomen, DIVINE, Tuum laudesque peribunt,
  Quando erit in nullo Romulidum ore ſonus.

DE EODEM.

Dius ab Eliſia redeat ſi ſede Sophocles
  Atque METASTASII Dramata conſpiciat,
Attonitus certe clamet, qui talia ſcripſit,
  Par fuit ingenio, par fuit arte mihi.

AD EUMDEM.

Si volucres Maja genitus mihi commodet alas
  Præpete ſive vehar Bellerophontis equo,
Non ego dilectam Patriam, caroſque Penates
  Et pulchram in riguis vallibus *Insubriam*
Nunc repetam: inde procul quantumvis tempore longo
  A Matris caræ amplexibus abfuerim,
Tu me tu potius, *Divine Poeta*, teneres,
  Me deſiderium dulce Tui hinc raperet
Vindobonam, ipſe tuos ut poſſem cernere vultus,
  Colloquioque tuo, dive Poeta frui.

Sed

Sed nequeo: hos igitur pro me nunc accipe versus
Testes victuræ semper amicitiæ.

In Eiusdem Dramata Sacra.

Donum insigne Dei cum sit veneranda Poesis,
Autori debet psallere grata suo.
Mente METASTASIUS reputans hæc lauriger altâ,
Dramata sacrata duxit ab historia.
In qua sic Pietas Arti certare videtur
Ut palmam dubites illa, vel illa ferat,
His igitur numeris non solum, qua patet orbis,
Verum etiam cœli lucida templa sonant.

DE METASTASII ICONE

Ad Lectorem.

Nosse METASTASII Lector si percupis ora

Hic ille est, frontem ne vides sine nube serenam,
Atque oculos duris absque superciliis?
Hoc caput, hæc frons est, dudum cui laurea CÆSAR
Plaudente Aonidum serta choro imposuit.
Hoc caput, hoc cerebrum, quo Princeps illa sororum
Castalidum gaudet degere *Melpomene*:
Hæc labra musæos late spirantia flores,
De quibus effingit Tusca apis ambrosiam:
Hoc pectus plenum fidei, pietatis, & æqui;
Noscere plura lubet, pergito Vindobonam.

IN

IN EIUSDEM POESIM,

ac præcipue Dramata.

Tanta Tibi Jtalicæ, Divine, peritia linguæ,
Tam Tibi fœcundo Drama fluit calamo,
Floribus & gemmis nitidis tot ubique coruſcas,
Tam bene, tam ſcite, quod canis, omne canis,
Unus ut omnigenos exhauſeris arte Poetas
Olim quos Latium, Græcia quosque tulit.
Nil METASTASI mirum eſt, tua Muſa feratur
Æquaſſe antiquos, exſuperaſſe novos.

AD DIVAM
MARIAM THERESIAM
JMPERATRICEM.

Sidera perfectum perfecto corpore Numen
Inſtinctu largi compoſitura Poli,
Jn te naſcentem Dea præclariſſima ab alto
Transfudere omnes æthere divitias.
Nulla Tibi non ſtella bonos indulſerat ignes
Cum Jove Mercurius, Juno, Diana, Venus.
Felices oculos, qui talem Heroida cernunt!
Felices populos qui tua iura colunt!

DE EADEM.

Cum morbo variolarum ægrotaret.

Morbida conflueret dum labes THERESIÆ in cor,
Et muſſant mœſti, incerta cohors medici;
Lugu-

Lugubres cœli radios, cœlumque videres
Præcipites ſenſim ſolvier in pluvias;
Scilicet ipſa novum teſtantur ſidera luctum,
Suppeditant noſtris & lacrymas oculis.

DE DIVINO METASTASIO.

Antiſtat Vates mihi METASTASIUS omnes:
Hoc omnes uno ſunt mihi deliciæ.
Haud ſecus ac Clytien ſol aureus, atque Erymanthis
Jugiter Herculeum ſtella trahit lapidem
Me METASTASIUS totum rapit, obſtupefactumque
Jn ſe admirandis figit imaginibus.

DE DIVA MARIA THERESIA IMPERATRICE *ad Archiduces Filios.*

Non eſt tot vobis Atavos numerare neceſſe,
Suſpicite in Matrem THERESIAM, Illa ſat eſt.
Vos iuvet Illius imitari illuſtria facta,
Pectore in illo omnes invenietis Avos.

IN EFFIGIEM EIUSDEM *Ad Eosdem.*

Cernite THERESIAM; ſe totam agnoſcit in illa
Jnclyta veſtrorum ſtirps rediviva Atavûm.

DE DIVA

DE DIVA
MARIA THERESIA
IMPERATRICE.

Vindobonæ quidquid pulchri reperitur, & æqui,
Jllud ab AUGUSTÆ moribus omne venit.

DE EADEM.

Quod sol in cœlo, Diva est THERESIA in orbe;
Cœlum ex sole, Orbis THERESIA rutilat.

DE EADEM.

Si quis habet sanctæ curam pietatis, & aras
Antiquâ si quis Relligione colit,
Si quis præscripto legum regit ordine cives,
Si quis peccatis non sinit esse locum.
Si quis pauperibus prodesse laborat, & ægris,
Si quis non aliis triste precatur opus,
Si quis privatis præponit publica rebus,
Dispeream si non DIVA THERESIA erit.

DE EADEM.

Virtutum propriam cunctarum cernere sedem,
Et verâ ARCHIDUCES nobilitare cupis?
Aspice CÆSAREÆ venerandam PALLADIS aulam
Omnia CÆSAREÆ PALLADIS aula tenet.

AD

AD EAMDEM.
De Eius Augustis Filiabus.

NATARUM inspiciens vultum Diana Tuarum,
Hic habitant, inquit, Gratia, Forma, Pudor.

DE DIVA

MARIA THERESIA

ROM: IMPERATRICE

ET DIVINO METASTASIO.

VINDOBONÆ duo sunt hodie miracula, MATER
AUSTRIADUM, Jtalici Dramatis atque PATER;
THERESIÆ virtus in toto nobilis orbe,
Grande METASTASII nomen ubique viget.
THERESIA nullus Princeps est fortior usquam,
Nemo METASTASIO est doctior, aut melior.
THERESIAM niveo vectat victoria curru;
Fama METASTASIUM buccinat esse Deum
Carminis. O Patriæ longum THERESIA vive,
Vive METASTASI diu quoque Pierisin.
THERESIÆ cedat Gens Hostica, METASTASIO
Concedat vates Graius & Ausonius.

VIENNA DE METASTASIO.

Quamquam alias felix, felix tamen hoc quoque dicor,
Jn mea quod traxi iura METASTASIUM.

DE

DE EODEM.

Sunt ubi si quæris Phœbus, Phœbique sorores?
Omnes DIVINI in mente METASTASII.

EIDEM

Si mihi forte Deus nunc diceret, elige quidquid
Ex votis animi quæris habere tui,
Non ego Regales optem cum pondere fastus,
Sceptraque, & Assyrias non ego divitias;
Non Tarpeia meis concedi legibus æra,
Eligerem ingenium, die POETA Tuum
Nam quoties divina lego tua Dramata, summis
Jpse mihi videor raptus adesse Deis.

DE EODEM
AD PHOEBUM.

Phœbe Pater qui mundi oculus celebraris, an unquam
Vidisti qui sit doctior & probior?
Reddita vox: nusquam doctosque probosque videre est,
Nullum qui simul & doctior, & probior.

EIDEM.

CÆSAREÆ accurri visum miracla VIENNÆ,
Visaque mira meis plurima sunt oculis.
Quid tamen hæc? quid sunt? oculorum pabula tantum,
Ludibriumque vagæ sortis, & umbra boni?

Si pote-

Si poteris DIVINE, potesque profecto DURINO
  Hæc iniurato credere verba, Tuo.
E tot miraclis non visum est pulchrius ullum
  Quam Te, quam ingenii munera dia Tui.

DE EODEM.

Graiis Euripidem natura, deditque Sophoclem,
  Natura Jtaliæ læta METASTASIUM.

AD EUMDEM.

Quam Vienna Tuo gaudet, Vir Maxime, vultu,
  Tam Tua, crede mihi, condolet Ausonia Urbs.
At si longa valet præscriptio, Te revocabit
  Roma, & iure suo dixerit illa suum.

AD EUMDEM.

Tempora Pontificis si Te. Divine, tulissent
    LEONIS; illius loquor,
Qui tanto egregios Vates complexus amore est
    Vates & Jpse non malus;
Ut sibi cænanti nunquam non vellet adesse,
    Dulci lepore condiens,
Et sale Musarum sua fercula, METASTASI
    Te amplis stitisset præmiis
Protinus atque suum Te divulgasset Homerum
    Vatemque Principem omnium.

De utilitate

De utilitate
EIUSDEM DRAMATUM.

Quam gravis immineat ſævis fortuna Tyrannis
Nobile demonſtrat Drama METASTASII
Quo veluti pictâ in tabula ſpeculoque potentûm
Quæ ſint aularum fata videre licet.
Talia Principibus teneris bene cognita profunt
Exempla, ut fugiant quæ nocitura vident.
Quisquis es o Princeps, divina hæc Dramata volve,
Sic nunquam tragici materia oris eris.

DE EODEM.

Vis verbo? Sophiam, atque veri amorem
Artes Palladis, Jtalas Camœnas,
Vis verbo? Charites, Patremque Vatum,
Exemplum pietatis, atque honeſti,
Hoc METASTASIO tenes in uno.

In Natali
DIVINI METASTASII.

Feſta dies, da thura mihi, Puer Hungara vina
Funde, METASTASII dum facimus GENIO.
Sancte GENI Vatum, magno qui primus Homero
Preſſiſti æternâ fronde capillitium,
Et tot inextinctæ ſacraſti nomina famæ,
Sive colis Pindi nunc iuga, ſeu potius

Sive

VINDOBONÆ tenet urbs; adsis; Lux illa canetur
Quæ lucem scenis attulit Jtalicis.
Quale sacer Phœbi radius dispellit obortus
Noctivagæ Matris nubilaque, & nebulas
Est talis METASTASIUS; decedite nostro
Vati, (etsi atra hoc audiat invidia)
Vatum secla vetusta, & secla novissima Vatum:
Par JLLE antiquis, maior & JLLE novis.
Vis Drama? excelsis aget ille Theatra cothurnis,
Et latam longo syrmate verret humum.
DIVINUS rediit, dices in secla Sophocles
Atque recens tragicâ siquis in arte valet:
Jdem erit heroos capitur si condere versus,
Jdem erit innumeros condere si numeros.
Felix ingenii Vates; non te mala tangit
Ambitio, Aulai quæ venit à strepitu,
VINDOBONÆ & quamvis mediâ verseris in urbe
Te vulgo abscondis Pieridum in latebris
Jllic aut MAGNÆ memoras pia facta THERESÆ,
Aut generosa Tui CÆSARIS acta canis.
Jnsurgis tragico vel vinctus crura cothurno,
Æschyleumque æquo pondere syrma trahis;
Non tamen aut epulas Terie, vel dira Thyestis
Pocula, non Bacchas, non Athamanta sonas,
Non Scyllas, non quæ docuit ludibria, monstra
Divorum in terris falsa superstitio;
Longe alia Jtalico iuvat exhibuisse Theatro,
Et digna Orchestris, MAGNA THERESA, Tuis

Heroos

Heroos canit ille animos, Graiosque, Latinosque
Jlle Sophoclæo tollit in aſtra pede,
Dumque canit, cantum ad properant quas Auſtria Tellus,
Quasque tenent Jſtri cærula templa Deæ;
Plaudit & hinc Dryadum chorus, inde ſtupent Sylvani
Non ante auditos, Dramata dia, choros.
Sed Puer huc da Thura: *exorbito*, macte *Geni* eſto
Macte atque Hungarico die Geni Bromio.
Jmproba cum vano ſecedat inertia vulgo;
Jſte dies nobis feſtus agendus erit.
Jſte dies METASTASIUM læto attulit orbi,
Jſte dies cauſam Poſteritatis agit.

De Se non Vate

AD EUMDEM.

Æthereum cum fata Jovem ſuper aſtra locarent,
Suſciperetque novus Regna paterna Deus:
Certatim venerata ſuum ſunt Numina Numen,
Dî varii variis incinuere modis:
Mars, Phœbus, Maiâ genitus ſua carmina miſcent,
Jlle tubam, hic cytharam doctus, & iſte lyram;
Sed poſt Aſtricolas etiam ſylveſtria Fauni
Carmina, ſylveſtres & placuere modi.
Exemplis magnis fas ſit peccare DURINO;
Carmine diſpliceam, pectore dum placeam.

AD EUMDEM.

O qui flos hominum politiorum,
Quot ſunt, quotquot erunt, quot aut fuerunt,

Theatri decus, arbiterque nostri
Salve, & has aliquid puta esse nugas,
Quas mittit Tibi maximo Poetæ
Longe pessimus omnium Poeta:
Sic CALVUS tenero ausus est CATULLO
Dono mittere pessimos Poetas,
Queis is continuo die periret;
Tu DIVINE cave POETA nugis
Jstis illepidis & invenustis
Non dies aliquot velut CATULLUS,
Sed totum male nauseabis annum.

IN EIUSDEM EFFIGIEM.

Hic METASTASIUS: satis hoc; namque addere plura
Qui velit, is Soli lumina ferre velit.

DE EODEM.

Cum METASTASIUM lucis pia mater in oras
Ederet, adstabant ex Helicone Deæ;
Quarum Melpomene, quæ formosissima vultu
Tale olli tenero concinit ore melos.
Salve o pulle sacer Phœbi, Aonidumque futurus
Gloria, Romani lausque, decusque chori;
Musas namque coles, rursusque coleris ab illis,
Hæc Tibi sit fati meta, caputque Tui.
Tempus erit linques cum Romula tecta, volenti
Te & Nymphæ excipient Jstriades gremio,

Jncipe

Jncipe *dre Puer* dulci me agnoſcere riſu,
Dum Tibi Vindobonæ laurea ſerta paro.
Dixerat; adſenſere Deæ, perque aera latum
Quæ plaga dextra fuit, tota ſerena fuit.

DE EIUSDEM EFFIGIE

Lauro ornatâ

A D L E C T O R E M.

Lauriger en Lector Tibi METASTASIUS adſtat;
Plectrum Pierides addite, Phœbus erit.

IN EFFIGIEM DIVINI SOPHOCLIS
AD EUMDEM.

Maximus in Tragicis SOPHOCLES ille inclytus hic eſt,
Cuius divinum dicitur ingenium.
Maximus, & quiſnam Sophocli componier auſit?
Si tamen eſt ullo, Te volet eſſe minor.

DE EODEM.
AD LECTOREM.

Miraris veteres? ſed perlege METASTASIUM
Jam veteres METASTASIUS unus erit.

DE COLLEGIO THERESIANO.

Cæſaris hæc fuerat; Muſarum Regia nunc eſt;
Eſſe uſquam hæ melius non potuere Deæ.

DE DIVINO METASTASIO.

Danubium Delo remeans dum prospicit amnem
Obstupuit vultus Phœbus Apollo tuos;
Obstupuit, nec sese unquam cognovit in ipso,
Dum tacito dubium lumine corpus obit.
Sic oculis, sic ore Deus, sic denique lauru,
Tam similis Phœbo, Phœbus ut ipse sibi est.
Tandem ludor, ait, pharetram mihi surpuit olim
Mercurius, tamen *Hic* me mihi surripuit.

IN EFFIGIEM.
Augustissimæ Familiæ Imperatricis M. THERESIÆ.

Sic vultum Austriadæ gestant; sed cætera pingi
Non poterant, nisi quâ fingimus arte Deos.

AD DIVINUM METASTASIUM

Doctarum Pater elegantiarum,
Possunt immo Tibi invidere debent
Plures, nemo imitarier sed ausit.

AD EUMDEM.

Dicent sæcla Tuæ quæ sint in Dramata vires:
Melpomene Musis statque, caditque Tuis.

AD EUMDEM.

CORNELIUM præstas nobis, præstasque RACINUM;
Ac vel iudicio vincis utrumque meo.

DE

DE EODEM.

Hunc Tibi posteritas Vatem, Tibi maxime vates,
Æternitatem gratalur.

AD EUMDEM.

Divine Vates Te Pietas, Pudor,
Te cana virtus, Te solidum Sophos,
Te multa priscis in via Vatibus
Præcepta vitæ semper idonea,
Sparsere puris undique gemmulis,
Semper verendum, semper amabilem;
Seu præpotentum dicere convenit
Regum triumphos, seu monitis opus
Firmare lapsum quemque fidelibus.
Sic grata misces usque salubribus,
Gratisque misces usque salubria,
Livore quisquis dicat ut arbitro,
Nec sanctitati cedere gratiam,
Nec sanctitatem cedere Gratiæ.

AD EUMDEM.

O! Romæ decus, atque Etrusca siren,
Nostrarum Pater elegantiarum,
Quem suum veteres velint Athenæ,
Quem suum vetus ipsa Roma dici;
O quam nos gravibus Tuis cothurnis
Quos hæc atque alia invidebit ætas
Oblectas, reficis, rapis, doces que!
Vis verum Tibi, DIE PETRE, dicam,
Te vivo Jtalici decus Theatri,
Vivet; sed pereunte Te peribit.

SERENISSIMO PRINCIPI

CLEMENTI VENCESLAO

REGIO POLONIÆ

AC LITHVANIAE PRINCIPI,
SAXONIAE DUCI,

EPISCOPO
FRISINGENSI, ET RATISBONENSI
&c. &c. &c.

REgia Progenies, cui vox, virtusque Paterna
Muniit ad summæ culmina Laudis iter,
Audebitne tener tanto se credere Soli
Fætus, & Augusti Principis ora pati?
Nec venit in mentem Phaeton, aut Icarus ales,
Jlle Jovis telis obrutus, alter aquis?
Grandia dum spirant, maioraque viribus audent,
Congrua fata suis ausibus excipiunt.
Non tamen indecori clauserunt funere vitam,
Sed solamen habet mortis uterque suæ.
Eridano Phaeton iacet haud infletus, at ales
Jcarus Jcarias nomine signat aquas.
Splendida mors, animam radiis effundere Phœbi;
Clarus honos, telo procubuisse Jovis.
Quod si Saxonicæ lux, CLEMENS, maxima Gentis
Jsthæc nostra aliquo captus amore leges;

Non

Non ego maluerim Pactoli quidquid arena
Volvit, & ex Indo vectat Iber pelago:
Namque dat indignis fors sæpe, merentibus aufert,
Quas stupet attonito pectore vulgus, opes.
Sed grave iudicium CLEMENTIS posse mereri
Sola valet virtus, ingeniique decus.

De Morbo

DIVÆ MARIÆ THERESIÆ

Saluteque mox illi reddita.

THERESA ægrotante, omnis Domus ægra iacebat
Austriadum, optabat Cæsar & Ipse mori;
Quod si THERESAM mors eripuisset, eodem
Funere functa Domus, Cæsar & Ipse foret.
Hoc Atropos mirata nefas, feritate repostâ,
Unâ tot vetuit morte perire Deos.

IN EUMDEM.

THERESÆ Lachesis dum fila secare minatur,
Rixatur magnâ seditione Polus.
Ipsa suas propere sedes Astræa reliquit,
Debetur nostris sedibus Austriadum
Mater ait; se clamat equos permittere Phœbus,
Et duodena parat crinibus astra Tuis;
Accelerat qui tardus erat sua plaustra Bootes,
Teque sub arctoâ sistere sede cupit.

Insolito

Insolito resonat Cœli plaga tota tumultu,
THERESAM DOMINAM sidera quæque volunt;
Jupiter exclamat, quid vos properatis? Olympi,
Quæ cito promeruit sidera, sero petat.

DE EODEM.

SCivit ut Austriacam morbo decumbere MATREM,
Lucem illam sæcli deliciumque sui.
Ingemuit toto Danubius actus ab antro;
Et Tagus attratum condidit amne caput;
Flevit mœstus Arat, mœstæ flevere Pyrenes,
Et lacrymis tepuit Belgica terra suis;
Ipse manu vitream deserit Tyberis urnam,
Ipse sibi virides proscidit ungue genas.
Flet Regio dispar, tamen est par fletus ubique;
Nam timet eripier Natio quæque Deam.

DE EODEM.

AD

DIVAM MARIAM THERESIAM.

Cum premeret Te dira lues, si forte requiris,
Quæ fuerit facies urbis, & Austriadum?
Plurimus hibernas regnabat turbo per auras,
Atraque pollutos messerat umbra dies;
Verum ubi tam diri potuit vis irrita morbi,
Ver simul, & Titan protinus emicuit.
Fæda licet tristi tempestas fugerit orbe,
Tristior ex omni pectore cessit hyems.

AD

AD EUMDEM.

VItæ nulla Tuæ pars non impenditur orbi,
Quin magno morbus non caret ipſe bono;
Diſpulit elapſa hinc quidquid contraxerat ætas,
Ventura in toto quo foret aſſe nova.
Non tamen inde putes cauſas ceſſiſſe rogandi,
Et præcibus nullum iam ſupereſſe locum.
Scire cupis quid reſtet adhuc? iterumque, diuque
Quod facis, ut facias, publica vota petunt.

AD VIENNAM

De Morbo

DIVÆ MARIÆ THERESIÆ,

Qui erit ad Sanitatem.

POne metus, conſtant vires, artusque MARIÆ,
Et poterunt mentis pondera ferre diu.
Non fuit affectæ indicium, verſæque ſalutis,
Sed perluſtrati corporis ille labor.

Ad Eamdem Viennam.

Cœlicolis placuit noſtros tentare timores,
Quo ſua nos conſtet munera noſſe probe.
Quanti es Vienna Polo? permittunt Numina quando
Spes nutare tuas, pulchrius ut relevent.

De Eodem Morbo.

Corruimus cuncti, nuper dum corruit Una,
Inque Unâ est cunctis mox reparata salus.

DE EODEM.

Pallida mors frustra tentas rapuisse THERESAM
Non potes, orantem ni rapis & Populum.

DE

DIVA MARIA THERESIA.

Tumulum sibi excitante in templo Capucinorum.

DISTICHON.

NI sibi det, tumulo careat THERESA necesse est
Posse mori quis Hanc non putet esse nefas?

De Eodem Morbo.

IMproba dum labes THERESÆ concutit artus,
Imaque lethalis somnus in ossa meat,
Irato ferit ungue genas mœstissima Plebes,
Discindit procerum mœsta Caterva sinus;
Agmen Natorum crudelia sidera clamat,
Atque una trepidat præcipitare diem.
Sed dilectam animam properavit Numen amicum
Pronaque tot votis restituisse salus.

Austri-

Austriacis, sic lucis amor redit omnibus, unum
Servatum servat, sic caput omne caput.

DE EODEM.

Effera dum febris THERESÆ possidet artus,
Ustaque lethali permeat ossa gelu;
Archiducum flet mœsta cohors, Populique, Patrumque
Turba subirato dissipat ungue genas.
Explorata salus rediit, vix cura quievit,
Et trepidant mixto gaudia nostra metu;
Tristia vix tristi solvuntur corda dolore,
Cumque suo nostrum vulnere vulnus abit.
Quot vivâ Te vita manet, quot funera functâ!
Una dies cunctos perdidit, una dedit.

Carmen Sotericum
MARIÆ THERESIÆ.
ROMANORUM IMPERATRICI
semper Augustæ Viennæ ægrotanti
Mense Junio Anno 1767.

AUstria cur ploras? vivit THERESIA, & atrâ
De morte, ut Phœnix redivivus, redditur orbi
Vivit io, æternos tecum victura per annos!
Et quod non posset Pæon, non doctus Apollo,
Non qui arte Hyppolitum stygiis eduxit ab umbris,
Ipsa sibi Panacœa fuit, virusque latenti

Labe

Labe tumens, mortemque effusam in membra fefellit.
Heu! mens horret adhuc, dum cogitat, optima PRINCEPS,
Te potuisse mori? sic o Regalia vobis
Curæ sceptra Dii? magnæ sic astra laborant
THERESÆ? quas aula preces dedit! Austria planctus!
Hærebant mœsti Proceres, gemituque latente
Dum AUGUSTA exanimis casu prope pendet iniquo,
Crudeles superos, crudelia fata vocabant.
Totus ad hunc morbum fracto quasi cardine mundus
Torpuit, aversos egerunt sidera vultus,
Et caput obscurâ Titan fuligine sepsit,
Non ausus spectare nefas; mors quæque MARITAM
Cæsaris abstulerat, Bavaro de sanguine cretam,
Obstupuit nil tale sibi in tua fata licere,
Et frustra luctata diu, mors arra recessit.
Vive Jo! & longos nobis dominare per annos
O Matrum decus, o Augustarum Austriadum Lux!
Aurea sponte Tibi renovarunt sæcula Parcæ;
Tu spes Jmperii, tu fractis gloria rebus
Te regnante Itali, te tota superstite tellus
Sentiet esse Deos, & libertate fruetur.

Gratulatur Divam
MARIAM THERESIAM
gravi morbo liberatam esse.

ODE

Da Vati cytharam, Puer,
Et mecum superis incipe debitas

Cantu

Cantu ſolvere gratias,
Qui nobis Mariam reſtituunt; procul
Jam triſtes quærimoniæ
Abſint, iam lacrymis optima Civitas,
Tandem pone modum piis;
Vivit lux noſtri, famaque ſæculi
Jngens; dicite virgines
Dîs laudes, pueri dicite candidi;
Ludis, lætitiâ, jocis,
Et feſtis reſonent omnia plauſibus.
Nubes æthera Jupiter
Pellat, Phœbe micans iam caput exere,
Undas fundere limpidas
Urnis Iſter ovans incipiat ſuis,
Et cana Auſtriacos tegant
Colles purpureis lilia cum roſis.
At tu Cæſareæ Parens
Urbis, certa ſalus & decus Auſtriæ
Gentis, Magne JOSEPH, bonis
Gratus ſolve Deis vota, Parens valet,
Jnvictoque animo feret
Tecum una Imperii pondera maximi,
Alcides velut impiger.
Fulxit ſubpoſito ſydera vertice.

DE EADEM CONVALESCENTE.

O D E.

Jo Sodales, nunc hilares io
Cantare par eſt, nunc fide Lesbiâ
Gratari: ab ingenti periclo
Incolumis rediit MARIA.
Suprema tandem numina vocibus
Permota iuſtis, & prece publicâ
Matrem redonarunt JOSEPHO
Denique, deliciasque mundo.
En vivit; & quis, debita cui magis
Sit vita, quam quæ impenditur omnibus;
Accepta cœlo es Vienna, poſtquam
Erubuit ſpoliare tanto
Te Parca Theſauro, en etiam Dea
Deſcendit ultro, ac prodiga plurimos
Ducenda promittit per annos
Stamina de meliore lana;
Nec anteacti per volucres dies
Accedet ævi ſumma ſequentibus,
Natalis ille eſt quo revixit,
Inde recens numeretur ætas,
Nunc ergo voti altaria nunc reus
Quisquis frequentet, munera congerat
Prolixe, & excelſis dicatas
Ponat ovans ſuperis tabellas.

Tokaia

Tokaia Cellis interioribus
Quis vina promat? quis mihi myrrheis
Unguenta de vasis, quis Horto
E riguo genus omne flores
Jnserta nectat? libera nemini
Fas sit Receptæ pocla THERESIÆ
Culpare, non si protrahatur
Jn mediam mea cœna noctem.
Ergo o repostum prome Puer merum
Fuliginosâ strenuus amphorâ,
Bacchumque dissecta solutum
Compede per solidos deunces
Appone mensis, prome Puer merum,
Festum & colamus carminibus diem,
Qui illi salutaris, meâque
Charior est mihi iure vitâ.

In Diem Sanctam
QUA DIVA MARIA THERESIA
convaluit.

Endecasyllabus.

Adeste Jstriades adeste, dextras
Dextris nectite, adeste quotquot isthic
Flores colligitis sacros in usus,
O iam ferte pedem cito vocatæ,
Est hæc dicta dies Choris, iocisque

Qua

Qua lux Auſtriadum THERESA avaros
Evaſit Lacheſis rapacis unques.
Adeſte o Dryades comâ nitenti
Perfuſæ albida colla, vosque Zonæ
Collectæ genibus tenus fluentes
Sinus candidæ Oreades, Napeæ
Quas ſaltus iuvat, Ypſiique ripa
Glauca fronde ubi ſalicta canent;
Vos ſimul vitreis ſedilibus, quæ
Gaudetis Patris Onaſi, benignæ
Pura & Naiades, quibus ſuſurrans
Unda TRAUNA lavat pedem tenellum.
Huc eia accelerate, iam lacertis
Extenſis coeant manus eburnæ.
Tu LYGDA atque ſimul LYGÆA plectro
Nervos tangite, fiſtulaque dulcis
Jmpellat numeris ſalire certis.
Jn gyrum propere Jlice hac ſub altâ
Eia proſiliamus; eia ſaltu
Alterno pede ter ſolum vireſcens
Pulſemus: bona numina, o favete,
Dum noſtræ facimus choros THERESÆ.
En iam nuda genu, comam refuſa,
Et ſpirans roſeum undecumque odorem
Exoptata venit decens VOLUPTAS
Lætanti aſſiliunt leves cachinni,
Hinc plauſus teneri, hinc & inde luſus.
En ipſe Charites, Ceresque flava
Extollens ſpiceum caput, referta

En canos

En canos ſtipula Pales capillos.
Jam ſaltus iterate, nec iocorum
Ullus ſit modus, hinc ioci, hinc chorique
Plauſu ludite, ludite atque avenis.
Huc accurrite vos bona o Juventus
Paſtorum, niveo citi tepentes
Ferte o lacte cados, calensque libum:
Tingat Rhenicus humor Hungarusque
Rubra aſpergine faginos Scyphos, &
Jnter pocula roſcidas per herbas
Læti proſilite; hæc erunt Lycæi
Culta paſcua, pineique ſaltus;
Hæ pro Mœnaliis ſilüis apertæ
Sylvæ, queis latera ima perſtrepenti
Amne corniger Jſter ipſe mordet.
En ut florea Prata, lucidique
Fontes, & ſata læta iam renident
More Parrhaſio, vacate ludis
Arguti hinc calami, hinc ſonent cicutæ

Hanc lucem celebrate; ſit quotannis
Vobis iſte dies ſacer; THERESAM
Audiant Coryli, audiant myricæ,
Et valles reſonent, ſonent fluentes
Rivi, ſaxa cava, & ſpecus THERESAM.
Jnſcriptum teneatque acuta Pinus
Duris corticibus diem, choræis
Statutum; Eia eia liliis liguſtra
Miſcete, o Sociæ, unguibus reſecta;

His serpant Hederæ suis Corymbis
Circum & compositam ligent Coronam,
Quæ magnæ decoret caput THERESÆ.
Dicamus bona verba, iam precemur
Puros candidulos dies THERESÆ,
Sint o Dii memores tui THERESA,
THERESA AUSTRIADUM decus, salusque,
Sis fœlix nimium, Tuumque nomen
Æternum maneat, sonent tuæque
Laudes undique, & undecumque & usque.
Hæc dum læta canunt Deæ, magisque
Accendunt choreas sacras, Apollo
Subrisit medio micans Olympo,
Auratâ insonuit lyrâque; qua cum
Demulsit liquidum æthera; at fugaces
Gestiere Feræ, & nemus per omne
Ter dulce intonuit canor THERESAM.

AD DIVAM
MARIAM THERESIAM
Tumulum sibi excitante in Templo
CAPUCCINORUM.

DISTYCHON.

Ni sibi det, Tumulo careat THERESA necesse est.
Posse mori quis HANC non putet esse nefas?

DE

De Archiducibus Fratribus Austriis
MARIÆ THERESIÆ
FILIIS.

Sanguis hic Austriadum est, Genus hoc e Principe Venâ
Est Lotharûm, per quos sic Tibi Vienna places;
Jdem Frontis honos, aurum par colla flagellat,
Par data fax oculis, par rosa picta genis.
Plus similes animo quam corpore: miscet & unit
Et studia & mores unus & æquus amor.

MARIA THERESIA
JMPERATRIX
LEOPOLDUM DISCEDENTEM
ALLOQUITUR.

Fili, alibi Te Fata vocant, vocat altera Tellus,
Tuscia nunc sceptris est moderanda tuis;
Matris in amplexu tenerum cape matris amorem,
Jn dictis documen, quo nova sceptra regas:
Quidquid ages metire prius, rata pœna Nocentes,
Fac maneant, Justos præmia certa viros,
Non odium terror moveat, non fræna resolvat
Gratia, Te timeat, Te quoque Tuscus amet:
* Non sic Excubiæ, non circumstantia pila
Quam tegit una fides, quamque tuetur amor.
Regnatorem etenim Peditumque, Equitumque Catervæ
Non faciunt, miseri sanguine non populi

F 2 Purpura

* Seneca. *Ferrum non tuetur Principem, sed Fides.*

Purpura tincta, Jndis non sceptra micantia gemmis,
Clarus & Eoâ Jaspide frontis apex:
* Jlle est Regnator, qui se civemque, Patremque
Ostendit factis, quique sui Domitor
Non sibi, sed populo sese putat esse creatum,
Plectere qui tardus, parcere quique celer,
Qui quoties decernit, amat consulta Senatus
Provida consiliis consociare suis.
** Tu Judex Populi es, vide, ne accusandus ab illo
Sis Fili, est legum qui Arbiter Omnipotens:
Principis esse puta, submittere sceptra Tonanti,
Quam fulcit Pietas, Regia tuta manet,
Nec Tibi quod liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentem Jusque, Piumque donet.
Primus iussa subi: Tunc observantior Æqui
Fit populus, cernit cum sua iussa sequi
Regnantem, & parere sibi: *componitur orbis*
Regis ad exemplum: non ita lata valent
Edicta inflexisse homines, quam vita Regentis,
Hæc vitii stimulos, semina laudis habet;
*** Plus namque exemplis Regnantem, Nate, nocere
Quam vitiis ipsis criminibusque scias;
Principis exemplo quod fit, id iure putatur
A populo fieri; Tu LEOPOLDE cave;

Vivere

* Sen. *hoc Reges magnificum habent prodesse civibus*.

** Terentius ait: *Judex es, ne accusandus sis, vide*.

*** Cicero: *Principes plus exemplo, quam peccato nocent*.

Vivere Te noris medio Telluris in orbe
  Facta tua, & cunctis Gentibus esse palam,
Occultum esse nihil patitur, cæcosque recessus
  Jntrat, & abstrusas fama subit latebras;
Tu sequere acta Patris; Quam lætus ab æthere cernet
  Se crevisse actis, o LEOPOLDE, Tuis.
Cæsareos imitare Atavos, quos Austria grandi
  Partu, quos Lotharûm stirps generosa tulit.
Victores Populorum, Regumque exempla, sed eheu
  Fles LEOPOLDE? vetor dicere plura. Vale.

MARIÆ THERESIÆ MATRI AUGUSTÆ

LEOPOLDUS RESPONDET.

Austriadum Decus, & columen, quas dicere grates,
  Alma Parens, potero, quasve referre pares?
Quæ me, qui recte Jmperii moderentur habenæ,
  Non minus exemplo, quam ratione doces.
Tu mentem immensam curas extendis ad omnes
  Ne quid Cæsareo nutet in Imperio;
Te semper ratio, nunquam fortuna gubernat,
  Nilque facis quod non iusque, Deusque sinunt;
Ut modo bella geras, modo civibus otia præstes,
  Maxima sisque foris, Maxima sisque domi.
Sub placitis vixisse tuis vel Brutus amaret,
  Deservisse Tibi vellet & ipse Cato:
Atque equidem nostris faveant modo Numina cœptis
  Effecta, o Genitrix, hæc documenta dabo,

 Hæc

Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medullis,
Perpetuus moniti Debitor huius ero;
Non me unquam Populi, commiſſaque ſceptra videbunt
Degenerem Patri, degeneremque Tibi,
Ante oculos mihi ſemper erit tua, Mater, imago,
Virtutum hæc ſtimulos, ſemina laudis habet,
Enitar, ſimilis Tibi ſit LEOPOLDUS, & Jllum
Agnoſcat Natum quilibet eſſe Tuum.

JOSEPHO II
ROMANORUM IMPERATORI.
Cum relicta Vindobona Romam proficiſci pararet.

PROPEMPTICON.

PUlcher Atlantiades, dubios cui credita ſors eſt
Obſervare aditus, & reſerare vias,
Nunc faciles inſterne precor, virgaque potenti
Deformare veta nubila nigra diem:
En Decus eximium Auſtriadum, & Dis æqua Propago
Maxima cura hominum, maxima cura Deûm
Tendit in Jtaliam, ſecedite nubila cœlo,
Tu glaciale caput protinus aufer Hyems,
Abde pruinoſasque comas; Metator Olympi
Tu Sol nunc roſeis ſterne ſolum radiis,
Perpetuum & placitis efflate hinnitibus ignem
Æthon, & Eous, Pyrois, atque Phlegon;

Quique procelloſo ventorum præſidet antro,
  Diſcordesque animas qui premit Hypotades
Ventorum furias, debacchantesque procellas
  Obice montano compedibusque domet;
Sit Soli Zephyro ſudi data copia cœli,
  Solus iter quatiat, præpetibusque ſuper
Arva volet pennis, & voce ſalutet Euntem,
  Auſoniam Auguſto dum pede tangat humum.
At vos pernici venientem accedite plantâ
  JOSEPHUM, o Panes Numina capripedes;
Hinc atque hinc denſentur Oreades; illa patentes
  Sedula veſtiget plana per uſque vias,
Hæc ſervet cæcas ſtagnante voragine fauces,
  Exploret foſſas altera, Pars ſcopulos
Indaget, collis nimium qua lubricus horret,
  Et fallit clivo deficiente viâ;
Pars nudum properet devexa per ardua callem
  Pervertens rupes ocyor aerias;
Ilicet amoveant cuneis certantibus omnes
  Ramorumque moras, falceque limitem agant
Porrectum late; ne nix contriſtet Euntem
  Pars moles altis erigat aggeribus:
Nec mora Faunorum poſitâ formidine agatur
  Circum hilaris levium cætus Hymadryadum;
Et vos humentes fluviorum Numina Nymphæ,
  Leniter haud ſtreperos, o, cochibete lacus;
Hiberniq e amnes, & ſiqua licentius errant
  Flumina deſidant, ripaque frænet aquas.

Tran-

Tranquillo contenta vado, fluviique silentes
JOSEPHUM, obliti currere, suspiciant,
Accipiantque sinu venientem, ac mollibus undis
Jncolumem mittant limina ad alta Petri.
Tu fama adventus monitrix, & Nuncia tanti
Carpe viam, orasque adlabere Romuleas,
Æternamque urbem certis rumoribus imple,
Adventare, Istri quem venerantur aquæ
THERESA PROGNATUM, olim qui fortibus armis
Gesta atavûm vincet, qui PATRE maior erit,
Qui sua præferri quamquam haud volet acta Paternis,
Præferet invitum libera Fama tamen.
Quare age Tibri Pater, limoso qui pede curris,
Syllanis & adhuc cædibus usque rubes,
Excipe pacato venientem argenteus alvêo,
JOSEPHI Nomen nec Tyberine tremas;
Vivere tam miti sub Cæsare Brutus amasset,
Olli servisset vel tuus Jlle Cato;
Alter erit Titus Jlle Tibi, splendore remoto
Non Regem, civem se geret Jlle Tuum.
Urbs quali plausuque virûm fremituque resultat
Adventus Tanti Principis impatiens!
Fallax o quoties rumor deludet amantem!
Omni horâ ut Cæsar creditur adveniens!
At cum Romuleas felix intraverit arces,
O quantus convexa ibit ad astra fragor!
Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi!
Effundent plenis se cuneata viis;

Hinc

Hinc coram volitent Primores agmine denſo,
Et lateri Hiſpanis agglomerentur equis;
Unda ſalutatum circum tum rurſus inundet,
Turribus in ſummis Gens male firma ſenum
Confidat, Nuruum Manus, atque examina matrum
Oblitæ ſobolem tunc ſine lege ruant.
Unum ſuſpicient, iterumque iterumque reſument
Unum oculis, poterunt nec ſatiare oculos.
Jpſe tuos JOSEPH rerum Pulcherrime cives
Spectabis nudo vertice Romulidas
Aurato vectus curru per ſtrata viarum,
Diffunderque animos omnibus illa dies.
Qualis, ubi vaſtas mundi volvebat habenas
Roma vetus, Regni ſive Caledonii
Littora pacarat, captivaque flumina Rheni,
Arctoosque amnes, Sarmaticosque lacus,
Sive parum Latii patientem Pontis Araxem
Poſt currum & totam traxerat Armeniam,
Jngentis Conſul Capitoli Templa ſubibat
Quatuor in niveis conſpiciendus equis.

A D E U M D E M
ROMANUM IMPERATOREM
CUM INCOGNITUS
Romam adventare decreviſſet.

At Tu mortalem quamvis indute figuram,
Qui modicas Latiâ ducis in urbe moras,
Noſceris, Auſtriadum JOSEPH ſate ſanguine Divûm;
Quam bene quod Latia eſt orbis in urbe decus!
Te prodit

Te prodit vocisque sonus, Te gressus euntis
  Plenus & Augusto luminė frontis honos;
JOSEPHUM septem Colles, fontesque loquuntur,
  JOSEPHUM Tibris gestit & ipse loqui;
Te sonat Arcadiæ Musis operata Juventus,
  Nec silet inceptæ conscia Fama viæ.
Hei quid Jo Pæan, quid jo ter dicere Pæan,
  Publica lætitiæ quid dare signa veras?
Noſceris o JOSEPH, mortales inter ut olim
  Agnita non dubiis Numina celsa notis.
Jpsa genas frustra ferrugine Cinthia tingit
  Jrritaque obtexunt nubila Solis equos.

AD EUMDEM.

Ne speres, JOSEPHE tegi splendore remoto,
  Jncessu solo Cæsar ubique pares.

IN
MARIAM IOSEPHAM
DIVÆ THERESIÆ FILIAM
Ferdinando IV. Siciliarum Regi
Desponsam.

LACRYMÆ.

UNde repente novum Tellus dedit Austria planctum?
  Unde repente novas solvitur in lacrymas?
Gurgite quid toto cum squammifero Comitatu
  Jster agit sese, cæruleâque caput

Quid

Quid velat chlamyde, & damnato clauditur antro,
  Rauca ſonans, undâ queſtum ululante ciens?
Jpſæ etiam ſylvæ motant capita icta dolore,
  Montibus auditur flebilis atque fragor.
Mœſtitiæ agnoſco cauſam; moriente JOSEPHA,
  Auſtria it in gemitus. Auſtria it in lacrymas;
Undique pro ludis, riſu, feſtisque choreis
  Feralis requies, vox queribunda ſonat.
Geſtatur Pheretrum, facibus comburitur Æther,
  Pompa præit tantas Jnferias peragens:
Quisque madet fletu, & pullo ſqualleſcit amictu,
  Crudelesque Deos, Fata inimica vocat;
Auſtriacæ mœrent Aquilæ, mœſtiſſimus Auſter,
  Et Boreas Dominam flet, revocatque ſuam.
Nec minor Jtaliam dolor occupat; aggemit altum,
  Et fuſo pulchras irrigat imbre genas.
Parthenope imprimis ſingultibus aſtra laceſſit,
  Motura & duras verba iacit ſilices;
Me me evertit atrox funus, me me obruit inquit,
  Heu miſeræ nimium Numina ſæva mihi!
Tecum deliciæ, luſus, & gaudia Tecum,
  Spesque, Joſepha, meæ funditus occiderunt.
Sic me, ſic magni mœrentia pectora Sponſi
  Deſeris æternum? & fœdera Coniugii
Rumpens Fernandi Te Te complexibus aufers?
  Sic fugis alma Tuæ littora Parthenopes?
Unde Joſepha, Tibi fata immatura timerem,
  Cum Tibi ver ætas florida vix ageret.

Neſcia

Nescia iamque adeo fati, sortisque malignæ
Longæ haud cessabam dinumerare viæ
Tempora, torquebar votis, Arcusque parabam
Jnterea, & laudi celsa Theatra Tuæ.
Quænam Te miseræ primævâ ætate virentem
Jnvidit miseræ sors truculenta mihi?
Tu Regni fortuna mei, tetigisse videbar
Quâ cœlum, atque Urbes me super ire alias.
Siccine præriperis mihi nil crudele timenti,
Dumque paras Regi te sociare meo?
Cœlicolæ duri, quæ vos insana cupido
Egit nostram ægro evellere corde animam!
Ah nimium immites, nimiumque in furta parati!
Quam rapitis splendor maximus Orbis erat.
Unius in specimen Charitum chorus omnis, & Æther,
Et bona sors cunctas accumularat opes;
Jungebat binas contraria numina Divas,
Lenis & in rigida Pallade Cypris erat.
Haud poterant mentes expleri, atque ora tuendo
Mirificum Genii luxuriantis opus.
Perfida Mors, ausa es tam clarum attingere corpus,
Et tantum obscuras in Decus iniicere
Atra manus, spes & nostras submittere busto,
Ausa es spes nostras cædere falce tuâ!
Non te sceptra movent, non te miserabilis augor,
Qui Regem, qui nos implet amaritie!
Jmpia Mors, quam me crudeliter externasti,
Fixisti & duris sollicitudinibus!

Ægra

Ægra animi ſic Parthenope; flet cætera circum
  Nympharum Veſvi, Pauſilipique Cohors.
Palleſcit, brevibus crinem & demergit in undis
  Sebethus ſtreperis cinctus arundinibus;
Ipſæ & pallentes incomptis crinibus ulvas
  Ponunt, & choreas Naiades, & numeros.
Joſepham heu reſonant ripæ undique, & undique cannæ,
  Joſepham ſalices, & nemora ingeminant:
Plorat ager, plorant colles, & Buſta Maronis,
  Et Mergellinis Umbra ſub arboribus.
Ah potuit Lacheſis molles non ducere fuſos!
  Et tam præſentis rumpere fila Coli!
Jmproba Mors, tu æqua vulgo teris omnia falce,
  Jmproba. iam credam Numina & ipſa mori.
Parcarum invidiæ poterat ſatis eſſe litatum,
  Damna hominum Parcas ſi tamen ulla movent,
Mariæ interitu Bavaræ, quam non ita pridem
  Ah nimium properis flevimus exequiis!
Jungitur ecce tamen functæ Joſepha Mariæ,
  Proh dolor! hicque annus funus habet geminum!
Vix clauſum marmor, vix olli reddita iuſta,
  Liquerat accenſam vix ſua flamma pyram,
Altera cum curanda tibi, Joſepha, fuerunt
  Funera, & indignis oſſa cremanda rogis.
Quo nunc forma abiit? roſeo quo candor in ore,
  Æmula quo claris lumina ſideribus!
Heu! ubi puberibus Probitas maturior annis,
  Et caſtigati Regia vis animi!

Heu!

Heu! ubi frons Solio, frons nunquam elata superbo!
 Semperque alba Fides, purpureusque Pudor!
Heu! ubi siderei mores! proh Numina sancta!
 Liventes Parcæ ergo omnia surpuerunt,
Nec reliquum Nobis iam quicquam præter acerbos,
 Et mutos cineres, quos brevis urna capit.
Ergo nigras, Josepha, faces Tibi fata pararunt,
 Funebrisque Thorus, non Genialis erit.
Pro risu lacrymæ, pro myrti fronde cupressus,
 Pro Fescenninis Nœnia lætitiis!
Quæ dictura fuit festivum tibia carmen,
 Luctificas dicet flebilis exequias!
Frustra ergo Tibi Parthenopes diadema parabant
 Confessæ Dominam Nereides Famulæ;
Frustra Hymen fulsere faces, & conscius Æther
 Omina Borbonii fausta dabat thalami.
Jtaliæ heu raperis! nimium Diis visa fuisset
 Fortunata, olli si tua iura dares.
Non Tibi regnasses, Jta'ûm fortuna fuisses,
 Connubioque inerant publica Vota Tuo.
Tecum præclare tamen actum hac sorte fatemur,
 Cui domus est Cœlum, cui cibus ambrosia est;
Æthereos inter quæ nunc lætissima Cœtus
 Ludis, cœlesti & coniuge perfrueris:
Nec natam a Genitore locus se iungit, eodem
 Compositos Solio magnus Olympus habet.
O lux Austriadum lux facta recentior alti
 Ætheris, orbatum o respice Borbonium,

Qui

Qui luctus inter, gemitus, suspiriaque inter
Pallidulis ducit vix animam e labiis,
Et queritur, qualis frondosis Turtur in umbris
Acriter amissæ fata gemens sociæ.
Tu tamen æthereas adsis delapsa per auras,
Tu nigra sollicito nubila pelle animo;
Tu lacrymas deterge manu, frontemque serena,
SPONSA erit atque Olli dic CAROLINA Soror.

AD DIVAM MARIAM THERESIAM.

In Imperii administratione sollicitè indefessam.

Te manet Jmperii cura irrequieta, negasque
Te, THERESA, Tibi, vivere, nata tuis;
Otia nulla Tibi, Tibi sola negotia somnos
Abrumpunt, præeunt, excipiuntque cibos
Quando mori, THERESA, Tibi vis, vivere nobis
Sis Tibi, sisque tuis, quidquid es, oro diù.

AD EAMDEM.

Natalis THERESA redit Tibi primus, & illum
Austria Natalem credidit esse suum.

De Eiusdem Natali Die.

Lux redit in toto qua nullo est clarior anno
Qua nulla est Populis carior Austriacis.

Donavit Divam quæ Terris nempe THERESAM
Quale bonum terris non dedit ulla dies.
Vindobona o felix tantum quæ protulit orbis
Lumen, mirandum summi opus Artificis,
Quod iubar æquiparat Phœbi, Phœbique Sororis,
Atque utinam Terras ipsa diu Irradies,
Nec malis splendere Polo, inter sidera quamvis
Primum esset sidus, DIVA THERESA, tuum.

DE COLLEGIO THERESIANO.

Ut studiis animum pubes exornet honestis
Plurima ad hanc vario tendit ab orbe plagam.
Jpsa rudis cultu mox informata severo
Ad patrios remeat non sine laude lares.
Nusquam alibi melius Veri se vena refundit,
Doctrinæ faciles aut referantur opes.
Jncola mansuram tenet hic sapientia sedem
Jn reliquis hospes conspicienda locis.

AD DIVAM
MARIAM THERESIAM.

Nil mortale sapis THERESIA, pectore cœlum
Et cœlum linguâ, mente animoque petis.
Cum referas cœlum, cœlum tibi præmia fiet;
Tu cito parta tamen præmia sero pete.

DE

DE CELSISSIMO PRINCIPE

KAUNITZ

PRIMO DIVÆ THERESIÆ

ADMINISTRO.

Dextra *Theresa* Dei est; Tu Kaunitz Dextra *Theresæ* es
Jmperium frustra fata sinistra timet.

AD EUMDEM.

Quod tanto Te dignetur THERESIA honore
Gratuler? an quod sis dignus? utrumque licet.

DE MARESCHALLO LAUDON.

LAUDONII auditâ famâ Mars astra reliquit
Visurus tanti Martia facta viri,
Quæ simul ac vidit, repetivit protinus astra
Ne sedem, metuens, occupet Ille suam.

DE EODEM.

Cedite vos Latii Heroes, vos cedite Graii
Hinc procul, & fastum ponite quisque suum:
Quidquid virtutis latuit sub pectore vestro
Sparsim; Laudonius, credite, solus habet.

DE VIENNA.

Cæsareum germen, Regumque Augusta Propago
E gremio prodit clara Vienna Tuo.

Es quidquid iam Roma fuit; Tiberisque Latinis
Quod dedit, Auſtriacis dat Tuus Iſter agris.

DE CELSISSIMO PRINCIPE

VENCESLAO LICHTENSTEIN

Deque Armamentario Viennæ

AUSTRIÆ.

Armatum ſuperos inter ne quærite Martem;
Hic agit, AUSTRIACIS aptat & arma ſuis.

DE MARESCHALLO LAUDONIO.

Ut Solis lucere, Poli Terræquæ videri,
Perpetuum unius eſt vincere LAUDONII.

DE EIUSDEM EFFIGIE.

Hoſce oculos, hæcce ora gerit LAUDONIUS Heros;
Fratrem iurares eſſe tuum Macedo.

IN ADVENTUM JOSEPHI II. ROM: IMP: SEMPER AUGUSTI.

Clarius Auſonias arces cur lumen inaurat?
Cæſar adeſt, quo nil clarius orbis habet.
Cur tormenta tonant? reſonat cur plauſibus æther?
Urbs ſibi iam priſcum gaudet adeſſe Titum.

A L I U D.

Sacram Urbem maiore ſtupes qui luce micantem,
Et magis illuſtrem quam prius ire diem;
Cuſtodem Imperii, Cuſtodem Gentis Etruſcæ
Aſpice, & a gemino Lumine lumen habe.

A L I U D.

Cæſar adeſt, properate citi, properate Quirites;
Regales nullus ſtat metus ante fores:
Blanda oculos lenit Maieſtas, votaque vultu
Audit, quo Superos Ipſe rogare ſolet:
Eſt pietas, quo ſæva fuit ſuſpectio quondam;
Aures ipſa puto limina Patris habent.

Cum renuiſſet custodiam Militum.

Cur nullo incedit ſtipatus milite Cæſar?
Cur renuit vigiles? caſtra ſibi ipſe facit.

Cum inviseret Capitolium.

Unde novâ rident Capitoli limina pompâ?
Auguſto Cæſar lumine Tecta beat;
Aſpicis æternos Veterum geſtire labores,
Gliſcere lætitiâ ſaxaque & æra vides:
Credibile eſt, ut Te valeant JOSEPHE tueri,
Heroum Manes huc properaſſe virum.

AD EUMDEM.

Dum septem geminis, Cæsar, Te collibus infers,
Roma recens Româ est facta priore prior.

DE EODEM.

Cum Urbem adiisset ignotus.

Jgnotus Latiæ quamvis successeris Urbi,
Urbs tamen Jmperii sensit adesse iubar.
Frustra te occultas Cæsar; si haud noscier optas,
Ara Tibi *ignoto* surget ubique *Deo.*

Eumdem Roma alloquitur.

Es similis Matri: de Te mihi dicere plura
Nil opus est, Matri Te similem esse, sat est.

AD EUMDEM.

Quod Tua sit Mater, Magnæ laus magna THERESÆ est,
Quod tantæ Matris Filius, hæc Tua laus.

AD EUMDEM.

Nostra homines priscis coleret si moribus ætas,
Non Tibi templa Timor, templa dicaret Amor.

PORTUNUS
DE LEOPOLDO NAVIGANTE
Magno Etruriæ Duce.

Nusquam abero, donec LEOPOLDUM littore sistam,
Qua se Arnus rapidis in mare fundit aquis:

Cede

Cede Pater Neptune; Uni parere necesse est,
Etrusco posthac serviat unda Jovi.

SUB EIUSDEM STATUA.

Tuscâ verendum quem tueris Principem
Cinctum Coronâ, LEOPOLDUS est THERESIÆ
Prognatus, Arno, quo imperante reddidit
Astræa læto sæcla rursus aurea.

AD EUMDEM.

Nil opus est sanctas Tuscis ediscere leges,
Nec Tusco improbitas erret inulta solo;
Præcipe virtutum spectent documenta tuarum;
Hæc feret ad mores semita certa pios.

AD EUMDEM.

Adsistunt, LEOPOLDE, Tibi, dum consulis Arno,
Hinc illinc comites Gratia, Justitia;
Præscribit rigide servandas Altera leges,
Altera fert miseris subsidium Populis:
Te similem facit Jlla Tito, facit Jlla Severo,
Utraque Te similem sed facit esse Deo.

AD EUMDEM.

Si forma quæ Te exornat oris Austrii
Quacumque pergis, detinet
Vi rapta dulci transeuntûm lumina,
LEOPOLDE, quo affici putas

Senſu, abſolutam cernit in Te imaginem:
Qui ex omnibus virtutibus.

DE EODEM
ET SERENISSIMA EIUS UXORE.

Quales Tyndaridæ duo lucida ſidera Cœli
Solantur trepidis anxia corda viris,
Cum maris horiſoni tumidis ferit unda procellis,
Surgit, & in laceram Cauro animante ratem;
Tales Auſtriadæ Regum genus aurea Floræ
Sidera, & unanimis copia fida Tori
Æquora Tuſcorum Borea perflante Notoque
Solantur populi pectora uterque ſui.

SUB EIUSDEM IMAGINEM.

Celſa LEOPOLDI effigies, eſt cætera longum
Dicere, Tuſcorum pectora & ora roga.

IN EAMDEM.

Hæcce LEOPOLDI eſt facies, Jove digna vel ipſo,
Juppiter eſt Regni nec minus ipſe ſui.

AD EUMDEM.

Te primum LEOPOLDE, regis, populum inde ſecundum
Nam facienda iubes, atque iubenda facis.

A D E U M D E M.

Cum animi relaxandi causâ cymbam conscendisset exortâ subito tempestate procul asportatur, diuque in mari detinetur.

Pone, Pater Neptune, iras, frænumque procellis
Injice claude feras carceris Æolii.
Quid faciam violas undâ spumante carinam?
Ah! nescis quantum Numinis illa vehit.
Sic urbs Parthenope; sed tales Æquoreus Rex
Fluctibus assurgens edidit ore sonos:
Mitte preces; habeant ventos plebeia quietos
Carbasa, tranquille sarcina vilis eat
Vela moraturis pugnent LEOPOLDICA nimbis;
Hæc Pelagi non est ira, sed ambitio.

DE EODEM CASU.

Parthenopes subito fremit eccur murmure pontus?
Fracta quid unda gemit cautibus æquoreis?
Sunt maris hi gemitus, trepidi sunt signa pavoris
Pertremit adventum quo, LEOPOLDE, Tuum.
Nempe timet tantus ne accedat ad æquora Princeps
Ut sua captivas sub iuga mittat aquas.
Pone metum, Pelagus; non Xerxi hic æmulus arma
Apparat in fluctus barbara cæruleos;
Sed placidus venit, Hetruscæ ut tuta otia Terræ
Quæ facit, ille tuis experiatur aquis.

A D

AD EUMDEM.

Introducendæ, urgente annonâ, rei frumentariæ intentissimum.

Per mare, per terras Cererem LEOPOLDE, requiris
Exulet ut Tuscis finibus orta fames.
Subditus esuriem nescit, Te Sospite, venter
Te præbente, cibis annus abundat inops.
Cur Tibi, quod vivit Populus non debeat? idem
A Te si populus, quod bene vivit, habet.

De summa Eiusdem Doctrina.

Tyrrhenæ LEOPOLDE plagæ, columenque caputque
Te quibus in cœlum Laudibus usque feram?
Quem charis ambrosiis pavit lepidissima succis,
Quem fovit gremio docta Minerva suo,
Nectareis cui blanda favis os suada rigavit,
Quæ simul & linguam finxit, & ingenium.
Nil mortale sonas; unde hæc Tibi dona? Magistrum
Mæonides dixit Regibus esse Deum.

DE EODEM.

Non Lernea palus, Caci neque pugna Latronis
Nec fera, nec volucris, nec tria colla canis
Alcidem fecere Deum, nec victor ab Indis
Agmen agens Liber venit in astra Pater;

Nec

Nec geminos Fratres, Lædæ genus, ob bona geſta
Bella, ferunt ſuperum accubuiſſe epulis:
Altius eſt quod iure polum ſibi vendicat ipſum,
Nec ſinit Heroum grandia facta mori
Jgnea vis animi, & Divum Clementia donum,
Et populi in memori pectore fixus amor,
Conſiliumque ſagax, rebus mens apta gerendis,
Cordaque non diris icta cupidinibus,
Et quæ ſola ſuper virtutes eminet omnes
Lapſa polo in terras aurea Relligio.
Talis ad Etruſcas ripas ſatus Jlle THERESA
Jura dat, & Lotharos æquat & Auſtriadas.

HYMENÆUS

HYMENÆUS REGIUS
SIVE
DE FERDINANDI V.
NEAPOLIS ET SICILIÆ REGIS
ET CAROLINÆ
ARCHIDUCISSÆ AUSTRIÆ
Nuptiis.

DUCI
S. ELISABETTÆ
AD AULAM CÆSAREAM FERDINNDI V.
LEGATO.

Offero Tibi, Excellentiſſime Legate, de Nuptiis Sereniſſimi Regis Tui FERDINANDI V. exultantis impetu lætitiæ carmen inter publicas applaudentis undique Europæ gratulationes effuſum. Officium enim Bonis potius meum, quam peritis ingenium probare ſimpliciter geſtienti, moroſa illa omnis, & anxia ad ſuperſtitionem uſque ſui calumniatrix ſupervacua plane viſa eſt diligentia. Ut quo laudis minus apud ſeveros Cenſores, eo plus veniæ, hoc quidquid eſt, quod a me nunc proficiſcitur, ſit meriturum apud æquos rerum Æſtimatores, qui certe ſcio non impro-

improbabunt, quod reiectâ sæpius bissyllaborum ratione dicam, an montoniâ? usus sim trysillabis, quadrisyllabisque. Excutiant illi bissyllaborum Patroni quidquid est Græcorum Poetarum. Evolvant Theognidem, Callimachum, Simonidem, Solonem, Mimnermum apud Græcos, Catullum, Propertium apud Latinos; bissyllaba studio, & de industria sæpe neglexisse intelligent: meminerint versiculi illius Horatiani

Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem.

Et quemadmodum Martialis de Fœminarum munditiæ, & nimio ungventorum studio scripsit

Fæmina non bene olet, quæ bene semper olet.

Ita nos de fluida Ovidianorum venâ non inepte poterimus pronunciare

Non bene vena fluit, quæ bene ubique fluit.

Etenim ut elegantia mulierum non in perpetuo cultu, sed modico pulchritudinis apparatu consistit; ita verus Elegiarum decor, & venustas propria non ex ornatu nimio, pedumque æquabilitate, sed apta rerum, verborum, numerorum inter se legitime dispositorum concinnitate pendet. Videmus in tabellis pictis hoc nobis accidere, ut si diu pulchram quamdam imaginem fixis oculis intueamur, obsordescat illa visui nostro, & afficiat oculos dolore tandem vehementiore, quam oblectavit prius voluptate. Idem nonne eveniat in animo? quem si diu in unius rei nulla varietate distinctæ semper, & ubique sibi ipsi similis contemplatione detineas, an censes illum delectari

lectari

lectari magis, quam cruciari, aut si non crucietur, ullam tamen inde percipere voluptatem? nihil equidem minus. Videmus proinde Pictores non elegantes semper, & venustas imagines, neque colore semper uno depingere, sed apponere etiam aliquando exesas rupes, diruta palatia, columnas dimidiatas, nutantia fastigia, pyramides truncas, & alia tum operæ levioris, tum minoris artis, tum formæ etiam, ut ita dicam, impolitioris. Ad istum modum in Elegiis, non unus semper rei color, non una rei facies semper oculis Lectorum debet obiici, sed aliquando formosam decet, aliquando minus formosam imaginem ostentare; ut Oratio sit modo mollis, modo, ut res ipsa feret, aspera; ut numeri interdum leniter ac placide fluant, interdum ubi opus sit rapido cursu intorqueantur, ut modo quasi obhærescant, modo in orbem circumagantur, ut modo celerius modo tardius decurrant. Quid plura? imitatus sum Catullum, quem Ovidius Virgilianæ maiestati non veritus est opponere, quem unum Martialis sibi audacter præponi voluit, cum inquit ad Marcum

Nec multos mihi præferas Poetas,
Uno sed tibi sim minor Catullo.

Redeo ad meum Carmen. Non dubito fore quam plurimos, qui longe politiora, atque elaboratiora his nostris proferant in tanto, quibus ætas ista abundat Ingeniorum excellentium proventu. Sed neque statim pessima sunt, quæ sunt deteriora melioribus; & ea omni-

ea omnium iamdiu de præſtanti doctrina Tua, & multarum, maximarumque rerum comprehenſa cognitione percrebuit opinio, ut quod huic libello vel artis deeſt, vel elegantiœ, ei cumulate ſit a Tuæ prerogativa commendationis acceſſurum. Cuius enim cum in rebus ſummis omnibus, quas egregie tractaſti innumeras, tum in reconditis, interioribusque, quibus unice a puero deditus fuiſti, litteris, iudicium imprimis, illi niſi perfectum, omnique ex parte abſolutum probari poſſe nihil, facile ſibi unusquisque perſuadet. Tibi vero, Excellentiſſime LEGATE qualecumque tandem iſtud eſt, vel induſtriæ, vel obſervantiæ ſpecimen meæ probari poſſe ut confidam, ſingularis facit illa Tua Humanitas, qua nonnulla mea carmina de incomparabili illa ſæculi noſtri Heroinâ MARIA THERESIA ſuperiori anno, quæ Tibi recitavi, ita complexus es, ut vel unum hunc laboris mei fructum cepiſſe mihi videar uberrimum. Quantum enim eſt, eius vel meruiſſe, vel utcumque abſtuliſſe iudicium Viri, quem Politices non tantum, ſed Eloquentiæ cæterarum artium Reginæ arbitrum eruditi omnes ſuſpiciunt! Uni Tibi ſi placuerim, Excellentiſſime LEGATE, reliquos nihil moror. Nec dubito quin vel argumento ipſo placiturum ſit opuſculum, quod ego nunc ad Te affero, non ingenii, quod perquam exiguum eſſe ſentio, monumentum, ſed obſervantiæ erga Te meæ, quam perpetuam eſſe cupio, qualecumque Teſtimonium. Quod ut boni conſulas, Te Excellentiſſime LEGATE, etiam atque etiam rogo. Bene vale. &c.

FERDI-

FERDINANDO V.

NEAPOLIS AC SICILIÆ

REGI

DEDICATORIA.

HUmani generis intereſt Principibus Tui ſimilibus, id eſt optimis, liberos adnaſci, & accreſcere quam plurimos. Cum itaque natura ita comparatum ſit, ut Fortes, quod ait Venuſinus, creentur fortibus, nec imbelles feroces progenerent Aquilæ columbas, nunquam illi ſane melius de populis, quibus præſunt, merentur, quam cum ſobolis propagandæ cogitationem ſuſcipiunt non inanem, & curam. Jd enim laudabilis voti, cum ſucceſſit, eventu conſequuntur, ut Regno in futurum itidem conſulant; fiatque eorum adminiſtratio non præſentis tantum ætatis publica, quod ipſum per ſe magnum eſt in primis atque optabile, ſed hæreditaria etiam, quod maius longe eſt, atque optabilius poſteritatis venturæ felicitas. Hinc gratulationes, REX optime, & acclamationes frequentes illæ, fauſtæque, quibus Maieſtatis has Tuæ recentes, felicesque nuptias proſequuntur ſubditi in dies; rati ſcilicet id quod res eſt, qua ratione providere inſtituiſti, ne quis illis olim alius, quam ex Tuis imperet, eadem caviſſe Te inſuper, ne quis in ſucceſſoribus unquam Tuis pietatem, iuſtitiam, fortitudinem, clementiam,

mentiam, liberalitatem, cæterasque, quibus excellis, virtutes desideret. Quarum etsi fructus omnis ad subditos Tuos pertineat, atque utilitas: vix est tamen ut in eorum amore ab illis & admiratione cæteri Jtali vincantur. Huius ut rei monumentum qualecunque extaret publicum cum venerationis meæ singulari testimonio coniunctum, faciendum mihi putavi, ut quod subito lætitiæ calore, & præcipiti impetu effudi in lucem carmen emitterem. Malum illud fateor, & quale ei necesse erat excidere, qui in fœda hac, quæ Poloniæ Regnum vexat tempestate Nuntium agit Apostolicum. Dicam cum Exule Ovidio.

- - *Scripta mihi sunt carmina, qualia cernis,*
Digna sui Domini tempore, digna loco.

At non tam ingenii quam studii specimen hic aliquod exhibere simpliciter gestienti, non operose admodum, atque anxie laborandum fuit, ne in delicata legentium fastidia incurrens, boni, quod nec mereor, nec ambio Poetæ nomen amitterem; Sed quod & arti commendationis, & artifici deest industriæ, id utrique quantumcumque est, totum, & a materiæ dignitate, & a Maiestatis humanitate Tuæ facile accessurum spero. Quod superest Deum Opt. Max. precor, quæsoque ut matrimonium Tuum Libelli huiusce argumentum mei fortunet. A Te vero REX optime, ut externi, Jtalique istum auctoris fætum ea, quæ Borboniæ Familiæ innata est, erga advenas benevolentia, & facilitate suscipias, enixe etiam, atque etiam contendo.

EPITHA-

EPITHALAMIUM.

FElices Natam ad ripas ſeptemplicis Jſtri
Natus in Aprico Parthenopes gremio
Ardet amans, totoque ambit diademate Nympham
Qui regit Euboicos Trinacriosque ſinus:
Et merito; nec enim redeat ſi lucis in auras
Olli de forma corporis egregia
Contendat, bello quæ olim repetita decenni
Sontibus iratos Graiugenas Phrygibus
Commiſit, Graiis nec diu iactata Camænis
Fabula, ſpumoſo Cypria nata mari,
Junoni licet illa, licet prælata Minervæ,
Abſtulerit pomum Judice ſub Paride.
Quis vero egregiæ natæque ad grandia mentis
Non miretur opes! ſuada profuſa labris
Flexanimis roſeis mulcet ſermonibus aures,
Nativique fluunt melleo ab ore ſales,
Quos Venus, & triplex certatim Gratia laudet,
Adſcribantque ſuis; dotibus his comites
Se ſe addunt ſeris exempla nepotibus olim
Virtutes, veri conſcia Relligio,
Et Pudor, illæſique Fides ſoror alma Pudoris,
Uſque hærens ſanctis & Pietas monitis,
Et faciles niveoque exacti pumice mores,
Et cor non tactis candidius nivibus,
Rectum animi & ſervans. Honor undique ſurgit avitis
Nec minor à ſceptris o CAROLINA Tibi,

Stemmata

Stemmata cui longis declarat fulta Trophæis
  Antiquæ ſtirpis proxima origo Deis,
Jlluſtres animas, grandi Lotharingia partu
  Quas tulit, hinc iactans, magnanimosque Duces,
Quos bello quæſitus honos, & gloria terris
  Didita veraci tradidit Hiſtoriæ,
Auſtriacas illinc bellatricesque volucres,
  Signata & faſtis nomina Cæſareis,
THERESAMQUE decus Matrum, Lucem Auguſtarum
  AUSTRIADUM, Latii Præſide quâ Jmperii
Humano generi, Superi, faviſtis abunde,
  JOSEPHUM & cuius corpore in egregio
Præſcia venturæ laudis natura paravit
  Dignum animo Regnatore domicilium,
Exhauſiſſe ſuas vires voluitque videri,
  Dum formare parem nititur Jmperio:
Hinc iuſtas traxit cauſas FERNANDUS amandi,
  Abſentesque ignes auribus ille bibit;
Ex illo totis late concepta medullis
  Pulchra ſub infeſſo Pectore flamma furit;
Nec cupido requies animo, ſeu dura fatiget
  Ora ferocis equi, ſeu nemora alta cane;
Unam illam veniente die, venienteque nocte
  Unam illam flammæ conſcius egregiæ
Suſpirat; ſic æterna qui lampade Mundum
  Luſtrat, Dianæ deperiit comitem
Penei gnatam, ſeu matutinus Eoas
  Linqueret, aut undas ſerus in Heſperias

Jret, quærebat ſylvis, & montibus illam
Omnibus, inventamque Æthere ab ignivomo
Admirans ſpectabat, & omni debita terræ
Unius in vultu lumina Solis erant.
Sed nimium lentas votis properantibus horas
Jmpatiens FERNANS increpat; ecce ſinu
THERESÆ avulſam magnæ, amplexuque ſuorum
Accinctamque viæ, atque oſcla ſuprema ſuæ
Libantem Patriæ; Nuptam levis axe voluto
Jmpoſitam, latos qua via pandit agros,
Currus agit Sponſoque vehit, ſtat nubibus aer
Et luctum mœrens veſte ſuum piceâ
Teſtatur, crebro & tonitru; confinis euntem
Turbato illacrymat gurgite Danubius;
Nec minus ipſa ſuis digreſſam mœnibus Aulæ
Cæſareæ Sedes, & caput Jmperii
Proſequitur lacrymis, totoque requirit ademptam
Murmure necquicquam. Littore ſic patrio
Fallaci abductam Tauro per cærula Ponti
Sidonis ora ſuam flebat Agenorida,
Lumina necquicquam iactantem & brachia retro,
Et fruſtra madidis reſpicientem oculis
Dilectas comites, fruſtra quæ in littore ſummo
Jnſolabilibus omnia lacrymulis
Miſcebant miſeræ. Fines emenſa Paternos
Pene omnem iam transmiſerat Jtaliam
Optatam VIRGO properans contingere metam,
Atque Maritalem viſere Parthenopem.

Quo

Quo fert cumque gradum, pompa solemnis ovanti
Adventum celebrat Natio quæque suum,
Et faustas de more vias exoptat ituræ
Ulterius, facilesque in sua vota Deos.
Jnterea longo perfuncta labore viarum
Sistitur optatis denique limitibus
Jncolumis, non bruma gelu, non imbribus atris
Læserat Atlantis Filia tristis Hyas.
Et iam finitimas volitans hinc inde per oras
Centeno populis nuntiat ore loquax
Fama novam Sponsam venisse; ut singula narrat
REGINÆ. Primo limite PARTHENOPE
Occurrit, sequitur præeuntem excita Sororum
Cum plausu hinc illinc, cum fremituque Cohors.
Jn saltus porrecta CALABRIA, APRUTIA montes
Extensa, & terris fertilis uberibus
Commoda multiplici & portu CAMPANIA: dives
APPULIA armentis, atque ferax oleis
Quæque tribus linguis vastum procurrit in Æquor
TRINACRIS a positu nomen adepta suo.
PARTHENOPÆA ferens consortis publica gentis
Vota istos facili protulit ore sonos.
O Patriæ Laus ante tuæ, nunc aurea Regno
Exorta, & Genti Lux CAROLINA meæ,
BORBONIOS serie thalamos auctura perenni
Natorum, salve o Regia Nympha; Tibi
Quam pede nunc ingressa subis, se vertice prono
Submittit famulam qua plaga cumque patet,

Obſequium & ſpondet nullis mutabile ſortis
Vel dubiæ, incertis temporis aut vicibus.
Urbs Te noſtra manet nulli virtute ſecunda
Poſthabita Cypro quam colit alma Venus,
Doctaque poſt verſas Pallas conſedit Athenas;
Regali hic luxu fulgida conſpicies
Atria, marmoreas immania ſaxa columnas
Conſpicuos poſtes tectaque digna Deâ,
Conſpicies arces extenſaque brachia portus,
Et ductum montis per cava Pauſilypi
Cœcum iter, everſas Pompeii, atque Herculis Urbes,
Et montem ignitos qui vomit ore globos,
Fragminaque accenſi liquefacto ſulphure ſaxi
Qui rotat, haud cedens ignibus, Æthna, tuis.
Tum geminam Capuam feliceſque ubere glebas;
Baiarum medicos Ænariæque lacus
Parte alia, & Prochytam, & Baulos, & priſca Dicarchi
Mænia, Miſenum, Cimmeriosque ſinus,
Cocytique amnem, ſtrepitumque Acherontis avari,
Et veteres Cumas, antraque Fatidica,
Sincerique ſacros Cineres, qui nempe Maroni
Proximus ut Muſâ, proximus & tumulo eſt.
Heic Tibi digna aderunt toto ſpectacula mundo,
Et quidquid blandæ MUSICA vocis habet,
Adde tot ingenuos animos, generoſaque' Plebis
Corpora, florentes Marte Togâque viros;
Denique conſpicies multis in millibus Unum,
Cuius candidulo Tu potiere ſinu.

Rumpe

Rumpe moras, *Carolina*, omnes, *Fernandus* amatam
Te ſibi perpetuo fœdere poſcit Heram,
Sola places; Tu ſola Tuæ poſt fata Sororis
Injecti ſenſus, ſubripuiſti animum.
O quoties deturbantem de culmine quercus
Jgniferæ glandis verbere gentem avium;
Nec vacuo ſterilive manus defungitur ictu,
O quoties vel apro retia vel lepori
Ponentem gelidis ſuſpiravere ſub antris
Jllum necquicquam Naiades, & Dryades,
Miratæ crines, miratæ oculosque genasque!
Auſa aliqua eſt etiam talibus alloquier,
O felix, inquit, felix quæ prima Maritum
Te faciet VJRGO! quantus in ore decor!
Gratia quæ fronti! qui crinis colla flagellat!
Dilectus Veneri talis Adonis erat,
Talis qui propriæ deceptus imagine formæ
Jpſe ſuis periit luſus imaginibus;
Sic ait; addit amor plauſus, & ſpes ſibi fingit;
At rapido FERNANS avia luſtrat equo
Averſus, vultusque fuga ſubducit amatos,
Olli ſola etenim TU CAROLINA places,
Adſcivit ſibi quam comitem ſceptrique, thorique,
Sola olli Tu fax, ſola perennis amor.
Ergo age progredere, & thalamo decumbe ſuperbo
JLLIUS, ingentes qui meritis titulos
Exæquat, longeque ſuo diademate maior
Noſter amat PRINCEPS dicier atque PATER.

Finierat; cantu ſociæ fremituque ſecutæ
Dicta, leves nexis mutua per manibus
Jn gyrum patrio ritu duxere choreas;
Jt ſtrepitus campo, clamor & aſtra ferit,
Reſponſant ſylvæ, reſponſant undique ripæ,
Vox percuſſa cavis emicat in ſpecubus:
Jamque ſuos VIRGO tunc lætior inter honores
Jbat, & arva ſecans deproperabat iter
Quod reſtabat adhuc, Dominamque intraverat Urbem,
Urbem cui totis fluctibus uſque Thetys
Jnvectat, quidquid vel fert Natura per orbem
Vel facit ars. Lituos inter, & innocua
Tormenta effuſo teſtatur gaudia vultu
Gentis amor, Juvenes, Decrepitique ſenes,
Et Matres longævæ & ſplendida turba puellæ
Aut plaudunt choreas, lætave metra canunt;
Solvit in effuſos ſe feſta licentia plauſus,
Vix & ſe ipſa capit; Urbs populoſa coit,
Jnfremit & ſtrepitu vario, dum læta paratus
Explicat ingentes; inſtat ubique labor
Fervidus extollens moles, arcusque triumphis
Jlluſtres; qualis tempora ſub tepidi
Veris verſat apes, cellis cum parva relictis
Campo it Gens, alas explicat & Zephyris,
Denſantur ſtreperoque ſibi ſe murmure miſcent,
Et complent bombis aera rauciſonis,
Omnis ſic ſtudiis certat concordibus ordo
Jn commune decus; credit & eſſe nefas

Omnis

Omnis honos, omnisque gradus, gravitate ſeverâ
Infuſcare diem, frænave lætitiæ
Ponere, quisque ſuos cenſus in publica confert
Gaudia, totum annum prodigit una dies.
Optatus veſper, nodumque daturus amanti
FERNANDO Zonæ ſolvere Virgineæ
Jam nitidum patrii vultum de gurgite ponti
Extulerat, primas ſpargere iamque manu
Pronuba nox ſtellas inceperat; haud mora menſis
Regales ineunt diſpoſitis epulas,
Et nuptam certatim omnes per pocla ſalutant
Mutua Reginam, Parthenopesque Deam:
At medias inter, velut olim Tantalus, undas
FERNANDUS, morſu fercula Rex modico
Delibans; pulchræ ieiunum paſcit amorem
Virginis obtutu, mox propiore ſibi
Fomite, creſcentem totis bibit oſſibus ignem;
Admoti tactu ſulphuris haud aliter
Aucta nimis ſcintilla rapit confinia primum
Pabula, mox totas urit edax ſilvas;
Miratur roſeæ ſurgentem frontis honorem,
Sidereos oculos, æmula colla nivi;
Ridet amor, plauditque novo gaviſa marito
Cum Junone Venus. nec mora ſenſit Hymen;
Dividuo diſcuſſa ſibi per nubila ſulco
Rupit iter croceâ fulgidus in chlamyde
Lætior & ſolito; frontem crinesque corona
Cælata Eois aurea Jaſpidibus

Cingit,

Cingit, & adverſæ lunæ micat æmula; ſceptrum
  Læva gerit; pendent intemerata thori
Vincla; quibus primæ quondam pugnacia molis
  Semina conſtrinxit; dextra facem alta quatit,
Quâ pontus circum reſplenduit omnis, & omnis
  Jntumuit circum terra tepore novo;
Dum venit, ingenti ſtipant Jllum undique cætu
  Ante ſibi raro fœdere conſocii,
Sede moraturi nunc convenienter in unâ
  MAJESTAS & AMOR, POMPA, nihilque trahens
Corrupta vulgi inſulſi de fæce voluptas,
  Compoſiti riſus, & ſine felle joci
Et ſociis mixti cantus, plauſusque choreis,
  Et pax concordis non temerata thori.
Quod ſupereſt vos o thalami queis cura parandi,
  Lilia vos, nimbos ſpargite vos Cilicum,
Spargite; ſic Cœlo mandat modo viſus ab alto
  Dius Hymen, poſcens debita nempe ſibi
Tempora; ſic properans *Fernandus* gaudia tandem
  Gaudia compoſito carpere prima thoro.
O Clodoveæ ſtirpis non degener Hæres,
  Nunc age, nunc fato denique plaude Tuo;
Nobile cæleſtis pignus CAROLINA favoris
  Suſcipit amplexus en CAROLINA Tuos;
Tu donum metire, quod in una coniuge iungit
  Quo paſcas oculos, quoque ſubinde animum
Oppreſſum nimium magnarum pondere rerum
  Attollas, nec enim blandius excutiet

Altera

Altera ſollicitæ Tibi tædia longa diei,
Aptior atque aulæ fallere dividias:
Parva loquor; maiora dabit prudentia ſexu,
Jngenii & robur, dexteritasque ſagax;
Utere; diverſas inter ſententia cauſas
Cum dubio mentem dividet ancipitem,
Jnterdum bini non parva negotia Regni
Jllius in niveo compoſuiſſe ſinu
Ne pigeat, Te conſilii potis Jlla iuvare
Labantem, incertumque auxiliaris ope,
Fortibus & Fortes, ſcis *Ferdinande*, creari;
Jmbelles nec aves Progenerant Aquilæ.
Jte igitur JUVENES, ite & natalibus AMBO,
AMBO ætate pares, moribus AMBO pares,
Jte igitur JUVENES paribus concurrite votis,
Carpentesque ſacri gaudia prima thori,
Hanc Veneri libate, & mundo impendite noctem:
Tu nox optatas protrahe lenta moras,
Ut Te olim perhibent Patri ſerviſſe benigne
Juppiter Alcmenæ cum fuit in gremio,
Scilicet haud poterat tanta puer indole naſci
Ni data ſeminio tempora iuſta forent.
Sic FERNANDE Tibi properat ſe condere Phœbus,
Longior & ſolito nox vigilanda venit.
Ergo agite o fauſto coniuncti ſidere amantes,
Pronuba quos ſtabili fœdere Juno ligat,
Unanimi auſpitio ſpatium decurrite amoris,
Plenaque felici pandite vela thoro;

FERNANDUS vobis & magnâ parvulus aulâ
Ludat, & ingens æquet honore Atavos;
Et maria ac terras famâ arduus impleat omnes,
Quas obit exoriens occiduusque dies,
Cuius ad occursum iam nunc Mahumeta tremiscunt
Regna, pavorque ipsos ad Garamantas abit.
Thrax Dominus, gentesque timent ventura superbæ,
Submittuntque animos & fera corda domant.
Sic erit; haud vano præcordia concutit æstro
Lauriger, atque omen rite secundat Hymen.

AD DIVINUM METASTASIUM

ELEGIA.

DIE VIR o meriti est cui non dare nomen honoris,
Omnibus & titulis, omni & honore prior:
Cum Tibi par nomen toto vix extet in orbe,
Doctrinæ Jpse omnis orbis, & omne decus.
Sole tuo illustris, quod præsens Austria sola
Noverit, Ausonio facta superba Viro
Sole quod orba tuo Tua mæret & invidet alte
JTALIA, heu! tanto Te spoliata bono.
ROMA tua imprimis rivalibus anxia curis,
ROMA tua, & virtutum omnium amica Parens;
Fœta opibus, fœta ingeniis, sola omnia ROMA,
Jlla tamen sine Te, MAXIMA ROMA nihil.
Mille licet nitidis stellarum ex ordine flammis
Splendeat aurati Regia picta poli;
Sole suo careat, solitâ sine luce repente
Triste chaos fuerit Regia picta poli.

Unus

Unus ARISTONIDES patrias mage clarat Athenas
  Cætera quam Graii tota saburra fori.
Plus METASTASIUS patrio plus addat honori
  Unicus, JTALIÆ & tendat in orbe decus
Quam ARCADIÆ vel tota cohors licet inclyta vatum;
  Et quisquam ROMÆ iam esse Poeta velit?
Non ego; quin dare vela fugæ, dare cruribus alas,
  Jam volo, iam Austriadum mœnia clara sequor,
Jn METASTASIO cunctis fruiturus abunde,
  Quæ dare magna mihi ROMA relicta potest.
VIENNA fave, tu *Isterque* fave, Tibi deferor hospes,
  O decus! o Phœbi Regia docta fave!
Jn tua iura trahor, Gens Austria, METASTASI
  Scilicet auspiciis in tua iura trahor:
Aures ille suo cantu excantavit amantis,
  Jlle rapit mentem trans iuga vasta animi.
Altera carminibus *Siren*, *Circe* altera philtro,
  Alter *olor* Phœbi: maxima ROMA vale
ROMA vale, Divûm sedes æterna, valete
  Vos septem colles ARCADIÆ & nemora:
Non ita; quin METASTASIUS Tuus ipse recurrat;
  Hæc patria est; tanto est hæc domus apta Viro;
Conscia DIVINI hic cunabula METASTASI,
  Hic ubi maternum Lac tener ore bibit;
Hic ubi Romulæ apes in labris mellificarunt,
  Hic ubi lallarunt cum Puero CHARITES;
Hic ubi reptavit dubio pede, qui modo famâ
  Pervolat attoniti solis utramque domum:

Jllius

Jllius hic lusus, & prima crepundia, qui nunc
Cuncta regit sanctarum orgia Pieridum;
Hic patrius flavo decurrens agmine Tybris,
Albulaque, & nitido qui fluit amne Anio
Nescio quid rauco udituri murmure *Alumnum*,
Aure parum facili quod tua VIENNA bibat.
Vir Divine cave, nimium ne credulus uni
Postponas sanctæ Numina tot patriæ;
Tot sacra, tot Latiis lustrata cubilia Nymphis,
Uvidulas & tot Naiadum latebras,
Apta Tuis Musis tot Tuscula tesqua, tot antra,
Tot nemora, & scatebris garrula saxa suis,
Saxa loquaci undâ, blando nemora alta susurro,
Topho antra, & leni mollia tesqua situ,
Parnassi pennatus equus, tuus ille *Veredus*
Te tandem huc revehat *Bellerophonta* novum
Omnia Pegaseæ patefacturum agmina Cyrrhæ,
Clausa diu absentis quæ modo clave tuâ:
Grande viæ pretium, Latio plaudente senatu
Laurus erit, Clario Laurus amata Deo;
Tarpeiam sedem, & Capitolia celsa subibis
Quattuor in niveis conspiciendus equis,
Audiet actutum priscisque excita ruinis
Augustum tollet ROMA venusta caput;
Audiet & quondam formatrix GRÆCIA morum,
Jnque tui occursum, qua pote lege, ruet,
Compede barbarie Scythicisque exuta catenis
Turcarum, aspectu vix satianda tuo.

Visendi

Vifendi ftudio concurrent undique turbæ,
Et minor eft populo ROMA futura fuo.
Aft ego perrumpens denfata per æquora vulgi
Pone METASTASII Laurea figna fequar
Crinalesque ederas, Pindique madentia fancto
Rore Tibi pleno ferta feram calatho.
Parrhasii accedent comites, gens docta Poetæ
De Sanctisque meus, *Sublerinsque* meus,
Brogius Arcadiæ Cuftos, *Cavatius*, atque
Goltius, *Arcadiæ* dulcis uterque calor;
Petro Sellinus, gravis atque *Seraffius* author
Eloquii, madidus Pieridum ftudiis:
Tu *Bonamice* aderis, qui dulci multa, fed acri
Plurima, facundo pectore cuncta refers:
Judicio atque aderit quo nil exactius *Asdens*
Quique melos *Dantes Pizzius* alter hiat:
Stayus at Sophiæ foboles, qui inventa Sophorum
Jmbuit Aonidum nectare & Ambrofiâ,
Magnus conftrictis pedibus, magnusque folutis,
Quo nullum Aufoniâ fanctius urbe caput,
Stayus ille Sophus vates, aget ille cohortem,
Stayus imperii pars erit una Tui,
Teque triumphali *Capitoli* fiftet in æde,
Jlle tuas laudes, laurea figna canet.
Tu modo, ne dubita, tanto indigitandus honore,
Et Patriæ & famæ regna fubire tuæ.

CLEMENTI

CLEMENTI XIV.
PONTIFICI
OPTIMO MAXIMO
Ob reconciliatum Sedi Apostolicæ
LUSITANIÆ REGNUM.

Vicisti CLEMENS; se curvat ad oscula prona
Lysia, iuratas exhibet Jlla manus;
Atque Tibi pacisque modum Legesque ferenti,
Præstare obsequium sponte parata ruit.
Ut Tagus aurifluis totus Tibi serviat undis,
Romuleâ ut Præsul celsus ab arce tones,
Cedis, & irridens sæcli fastigia calcas,
Legati & partes pacta petentis agis;
Vis monitis Patris, rigidis non viribus uti,
Jlla premens calcar, nec leve pondus habent.
Pace potens, bello scis delinire Potentes;
Fortius atque ipsô Nestore nectar habes.
Non tibi opus telo est; sic *dulcibus aspera cedunt*
Exorata Tuo Pax vel ab ore fluit.
Pax Maiora decet; mandataque fortius urget
Jmperiosa quies: impetus usque nocet:
Pacem Jlli hanc quoties nixi convellere, quorum
Pectora sunt ipso turbidiora mari:
Esset ut ex voto, quot fraus exivit ad artes?
Quæsita est ipso dira Acheronte manus.
Jrritum at in ventos abiit scelus; ilicet exul
Venit, & Ausonios Pax colit alma Lares;

AUSONI

AVSONI pone metus; CLEMENS TIBI vivit, & Æther,
 Vivat Jo! tanto quo Duce parta quies,
Donec erunt fasti, Custos diceris ubique
 Pervigil, atque TUI vitaque, corque Gregis.
Pontificum memorent alii Mavortia facta,
 Sacraque septeno fulmina missa jugo;
Ast ego pacis amans CLEMENTIS provida gesta
 Digna legi cunctâ posteritate, canam.
Caverat hoc Fabius, ne cœca volaret in arma,
 Ut ferro vivax, sic quoque lentus erat:
Hinc rem restituit Romanam; fertur & inde
 Dulcia solertis lucra tulisse moræ.
Te quoque cunctantem, solers qui in rebus agendis
 Approbat; & merita laude per astra vehit.
Talis es o CLEMENS, non quod TU imbellis, & anceps;
 Aspera pro magno tela Tonante geris;
Sed quia trita juvat *via lenior, aspera frangit*
 Divinæque sequax plus ea mentis habet.
Vidi ego cursuros in aperta pericula Tauros
 Pacifici vultus dexteritate capi.
Quas neque fax valeat, neque ferri cuspis adunci
 Curat ab infusa pallade Pastor oves.
Lenia quæque *placent;* sic *lenibus* astra reguntur
 Tu, CLEMENS, Reges hac quoque laude regis;
Utque diu, felixque regas; ut Romula Tellus,
 Cætera flebilibus sic rogat ore genis;
Quoque gregem servas nutu, TE servet ut Æther,
 Et TIBI, tot populis TU quod es, esse velit.

Salve

Salve o Romuleæ, Pater AUGUSTISSIME ſedis,
Qui clavum & claves Urbis, & orbis habes;
Cui ſe Maieſtas ſoliorum, & Regia ſceptra
Subdunt ſponte ſacris pendula ab arbitriis;
Dumque TUO ſervit late iam fama triumpho,
Dum ponit factis aurea Templa TUIS,
Dum Arcadiæ æterno dicunt te carmine vates
Me ſine inornatam texere Laureolam,
Inter quæ triplicem queat irrepſiſſe coronam,
Et tenuem hanc Thuris micam adolere mei.

Sanctiſſimis Beatitudinis Veſtræ pedibus advolutus
ANGELUS DURINI
Archiep. Ancyranus Nuntius Apoſtolicus canebat
Varſaviæ.

Apud Polonos NUNTIUS
Dono hocce METASTASIO
Dat quidquid eſt voluminis
Orans Deas Novenſiles
Ut hoc velint plus ſæculo
Manere, cultus NUNTII,
Sit teſtis ut perennior.

FINIS

MUSÆ, NOSTER AMOR.

ſedis,
abes;
t
riis;
pho,

tes

m,
mei.

advolutus

us canebat